B. 11

14a.

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28757233

INSTITUTIONES
HISTORIAE MEDICINAE

AUCTORE
JOANNE CHRISTIANO GOTTLIEB ACKERMANN.
MED. D. ET PROF. ALTORF.

NORIMBERGAE.
IN BIBLIOPOLIO RAUERO-MANNIANO.
MDCCXCII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

Etſi quidem poſt CORNELII CELSI & GALENI tempora non defuerunt, qui hiſtoriam medicinae literis mandarent, omnesque medici vtiliſſimam & in primis neceſſariam ad medicinalem ſcientiam eſſe medicinae hiſtoriam profeſſi ſunt, eam tamen cum reliquis diſciplinis medicis ſi compa-

ramus, minus hactenus esse excultam merito existimandum est. Cujus rei causa haec partim fuit, quod multi, medicinale studium quaestus causa tractantes, hanc disciplinam negligerent eamque ad minus quaestuosas pertinere arbitrarentur, partim quod ipsam medicinae historiam, quo modo a summis viris, DANIELE CLERICO, JOANNE FREINDIO, JOANNE HENRICO SCHULZIO, qui omnium pleniſſime de ea exposuerunt, erat tradita, non vna difficultate laborare intelligerent. Alios moles librorum, in quibus, quae ad historiam medicinae pertinent, tradita sunt, atque magnitudo, alios ipsa ratio, quam hi viri aliique

in

in ſcribenda medicinae hiſtoria tenuerant, ab inſtituto, quod coeperant, detinuiſſe atque deterruiſſe viſa eſt. Alii, hiſtoriam ſcientiae medicinalis tractare putantes, literariam ejus hiſtoriam ſcripſerunt, in quod vitium fere omnes hiſtoriae medicinae ſcriptores inciderunt. Multi alii, quae majores conſignaverant literis, fideliter repetierunt, errores, atque vera ita commiſcuerunt atque compoſuerunt, vt facile appareat, eos fontes rectos, ſine quibus nulla hiſtoria ſcribi poteſt, aut ignoraſſe, aut, vel laboris impatientia, vel incuria, neglexiſſe.

Si vero etiam negari nequit, medicinalis hiſtoriae partes quasdam a ſummis viris ita eſſe pertractatas, vt, quidquid laboris poterat impendi ad inquirendae veritatis ſtudium, eos contuliſſe exiſtimandum ſit, noſtroque praeſertim tempore magni quidam & excellentis ingenii viri, MOEHSENIUS, vir aetate atque doctrina vere venerabilis, BALDINGERUS, HENSLERUS, GRUNERUS, viri illuſtres, aliique libris ſcriptis doctiſſimis res ad hiſtoriam medicinae pertinentes pertractarunt, liber tamen, qui vniverſam medicinae hiſtoriam ad certum vſque tempus perductam comprehenderet, eorumque, quae facta ſunt in ſalutifera ſcien-

ſcientia, memoriam in compendio quaſi recoleret referretque, qui neque nimia magnitudine lectoribus taedium pareret, neque tam brevis eſſet, vt ad intelligendos eventus eorumque cauſas haud ſufficeret, qui ad academicas etiam praelectiones de medicinae hiſtoria eſſet commodus, hactenus non ſcriptus erat: vnus enim, qui de hoc genere prodiit JOANNIS HENRICI SCHULZII libellus & magis medicorum, quam medicinae hiſtoriam complectitur, & ad GALENI tantum vſque tempora perductus eſt.

Inſtitutum vero, quod in ſcribendo hoc hiſtoriae libello ſervavi, hoc eſt: Cum

in libris de medicinae hiſtoria hactenus ſcriptis non raro alia efficta, alia minus certa, alia non cohaerentia, alia ita propoſita eſſe deprehenderem, vt, quod alter alterum exſcripſerat, veraque & falſa ſtudio aeque fideli erat perſequutus, errorum crebra, veritatis recte propoſitae parca meſſis eſſet, hoc animo me ad ſcribendam hanc hiſtoriam contuli, vt ex ipſis fontibus haurirem hiſtoriam, in eoque labore qui extabant de medicinae hiſtoria ſcriptores, ignorare mihi viderer. Quam poſtquam elaboraveram, contuli, quae fontes me docuerant, cum his, quae alii dixerant, eoque modo quae vera propoſuerint hi viri,

viri, quae falſa, facile apparuit: apparuere quoque errorum, quibus non caruit medicinae hiſtoria, origines atque progreſſus.

Quoniam non mens mea erat, vt, quae alii dixerant, quaeque minus vera eſſe perſpexeram, in hoc libello notarem, corrigerem, coargueremque, (id propoſitum enim ſi habuiſſem, libelli mei moles major & legentibus forſan moleſta evaſiſſet) ſed potius vt hiſtoriam medicinalis ſcientiae ex ipſis fontibus hauſtam proponerem, ſimulque cauſas enarrarem, quae effecerunt, vt tali modo medicina inciperet progrederetur, quali eam eſſe progreſſam hiſtoria docet,

docet, non pauca vtique lectores in hoc libello reperient a majoribus aliter propoſita, quaedam ab iis omiſſa. Quae vbi idonei harum rerum judices dijudicaturi ſint, hoc ſaltim rogo, vt fontes, quos vbique fere adduxi, adeant, eorumque auctoritate & fide ducti judicent, num vtilia veraque, num minus vtilia & efficta propoſuerim. Hos lubens operis mei judices agnoſcam: horum criticam non deprecor, ſed expoſtulo potius, cum doceri me poſſe credam & diſcere amem. Dabam Altorfii d. VIII April. MDCCXCII.

CON-

CONSPECTUS.

I. Medicina antiquissima.

Periodus I. incerta.

Caput I. De primis medicinae originibus.

Caput II. Medicina Aegyptiorum antiquiſſima.

Caput III. Medicina Graecorum antiquiſſima.

Periodus II. certior.

Caput IV. Medicina juncta cum ſapientiae ſtudio.

Caput V. Scholae Aſclepiadarum ante Hippocratem.

Caput VI. De medicina gymnaſtica Graecorum.

Caput VII. Medicina qualis ante Hippocratem fuerit.

II. Medicina antiqua.

Periodus I.

Caput VIII. Hippocrates Cous.

Perio-

Periodus II. Schola medicorum Hippocrateorum et medicina dogmaticorum medicorum, usque ad sectae empiricorum primas origines.

Caput IX. Schola medicorum Hippocrateorum.

Periodus III. Secta empiricorum.

Caput X. Antiquior originum hujus sectae praeparatio.

Caput XI. Auctores sectae empiricorum praecipui. Placita hujus sectae.

Caput XII. Rixae empiricorum cum dogmaticis. Utriusque sectae per has mutata facies.

Caput XIII. De celebrioribus quibusdam empiricis, & de his, quae a secta empiricorum sunt praestita.

Periodus IV. Secta methodicorum.

Caput XIV. Epicuri systema philosophicum in medicinam illatum.

Caput XV. Asclepiades.

Caput XVI. Sectae methodicorum prima initia.

Caput XVII. Doctrina methodicorum.

Caput XVIII. Secta medicorum pneumaticorum.

Caput XIX. Medicina Romanorum.

Caput XX. De medicina, qualis ante Galenum fuit.

III. MEDICINA RECENTIOR.

Periodus I. Galenus.

Caput XXI. Vita Galeni.

Caput XXII. Galeni ſyſtema medicum.

Periodus II. Medicina Graecorum et Romanorum poſt Galeni deceſſum uſque ad Saracenorum tempora.

Caput XXIII. De medicina poſt Galenum generatim.

Caput XXIV. Medicina dogmaticorum poſt Galenum.

Caput XXV. Medicina empiricorum poſt Galenum.

Caput XXVI. De legibus & principum decretis medicorum & medicinae cauſa datis.

Periodus III. Medicina Galeni inter Saracenos in oriente et occidente.

Caput XXVII. Medicinae inter Saracenos initia & progreſſus.

Caput XXVIII. Medicina Saracenorum.

Caput XXIX. Medici Arabes celebriores.

Periodus IV. Medicina Hippocratis et Galeni in ſtudio medico Salernitano aliisque inſtitutis doceri ſolita.

Caput XXX. Medicinae in occidente progreſſus ad ſcholae Salernitanae vſque tempora.

Caput XXXI. Scholae medicae in vrbe Salernitana initia & progreſſus.

Periodus V. Medicina Arabiſtarum.

Caput XXXII. Medicina Saracenorum per Arabiſtas in Europam translata.

Periodus VI. Medicinae Galeni et Hippocratis reſtauratae per Europam prima initia.

Caput XXXIII. De his, quae ad reſtaurandam Graecorum medicinam contulerint.

INSTI-

INSTITUTIONES
HISTORIAE MEDICINAE.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Scire interest quaenam initia habuerit medicina, quos progressus: non vero haec tantum interest scire, verum quoque causas, quae progressus illius aut accelerarunt, aut retardarunt, effeceruntque, vt in opinionum, quibus medicina laboravit, varietate tanta, alia doctrina valeret, aut, stabilita alia, pro minus firma haberetur. Interest tandem scire qui qualesque viri medicinam coluerint, mutaverint, auxerint.

§. 2. Hinc limites historiae medicinae vix angusti sunt. Enarrantur scilicet in ea a) origines & progressus scientiae generatim & singularum disciplinarum, quae ad medi-

cinam pertinent, b) dogmata, quae diverſo tempore valuerunt, & quidem vt ſimul intelligatur, quo modo quamque ab cauſam nata ſint quidque, vt aliis locum concederent, effecerit, c) principes horum dogmatum auctores.

§. 3. Quum vero medicina antiquiſſima ſit, vt nata cum ipſa hominis natura recte dicatur, & ad noſtra vſque tempora progreſſa; ordo ejus pertractandae chronologicus maxime conveniet, ita tamen, ut quaedam periodi ſtatuantur, ab ipſius ſcientiae viciſſitudinibus, non ab eventibus, qui extra ſcientiam medicam ſunt, repetendae.

§. 4. Commode hinc (§. 3.) medicinae hiſtoria in antiquiſſimam, antiquam & recentiorem dividitur.

§. 5. Antiquiſſima, ad Hippocratem vſque perducenda, antiquitates medicas artisque ad Hippocratem vſque progreſſus complectitur. Antiqua ab ipſo Hippocrate incipit, tempore, quo Galenus effloruit, deſinit. Recentioris initia cum ipſo Galeno ſunt. Is enim primus medicinae hanc formam induit, quam, ex maxima ſaltim parte, noſtris adhuc temporibus habet.

§. 6.

§. 6. Hae itaque periodi medicinae antiquiſſimae, antiquae & recentioris (§. 5.) ſtatuendae ſunt:

I. MEDICINA ANTIQUISSIMA.

Tempus vſque ad Hippocratem, adeoque vſque ad Olympiad. LXXX.

Periodus I, incerta. Antiquitates potius medicas dixerim, quae in hanc periodum cadunt.

Periodus II, certior, poſt antiquiſſimorum philoſophorum θεωρίας, poſt practicae medicinae prima veſtigia ſcholasque tandem medicas in Graecia conditas.

II. MEDICINA ANTIQUA.

Tempus vſque ad Galenum, qui Adriano imperante Romanis (ann. poſt Chriſtum n. 117-138.) natus eſt.

Periodus I, ad Hippocratis mortem vſque, quae cadit in Olympiad. CII.

Periodus II. Schola medicorum Hippocrateorum, & medicina dogmatica vſque ad ſectae empiricorum primas origines, Olympiad. CXXIII.

Periodus III. Sectae dogmaticorum & empiricorum ad sectae methodicorum origines vsque, Olympiad. CLXXXIX.

Periodus IV. Sectae dogmaticorum, empiricorum, methodicorum, & quae hac periodo accessit, pneumaticorum, ad Galenum vsque.

III. MEDICINA RECENTIOR.

Tempus a Galeno, vsque ad chemicorum sectam, quae cum Theophrasto Paracelso in Germania efflоruit.

Periodus I. Galenus.

Periodus II. Medicina Graecorum &, quae semper exigua fuit, Romanorum, post Galeni decessum vsque ad Saracenorum tempora.

Periodus III. Medicina Galeni inter Saracenos in oriente & occidente.

Periodus IV. Medicina Hippocratis & Galeni in studio medico Salernitano aliisque institutis doceri solita.

Periodus V. Medicina Arabistarum.

Periodus VI. Medicina Galeni & Hippocratis restauratae per Europam prima initia.

IV. ME-

IV. MEDICINA RECENTISSIMA, cujus viciſſitudines hic equidem non perſequar.

§. 7. Libri, ex quibus hiſtoriam medicinae repetere licet, claſſis duplicis ſunt. Alteram fontes ipſi conſtituunt, opera ſcilicet medicorum antiquorum, in primis Galeni, philoſophorum, a quibus medici non raro quae ad θεωρίαν pertinent, mutuati ſunt, hiſtoricorum denique. Altera librorum eſt, in quibus medicinae hiſtoria aut vniverſa, aut ex parte, ex his fontibus petita, continetur. Enarrabo praecipuos alterius claſſis:

A. Corn. Celſi praefatio ad librum I. de medicina hiſtoriam artis a primis initiis ſuis vſque ad Themiſonis deceſſum (ann. U. C. circiter DCC. vid. Jo. Ludov. Bianconii epiſtol. de Celſi aetate, editioni Celſi Lugdun. Batavor. 1784. in 4. praefixa, pag. 42.) ſuccincte enarratam continet, multaque de ſectis argumentisque contra eas, nequidem in Galeni operibus reperiunda.

Herm. Conringii in vniverſam artem medicam ſingulasque ejus partes introductio. Helmſtadii, 1654. 4. *Continuata ad noſtra tempora praecipua ſcriptorum ſerie, acceſſ. Jo. Rhodii aliorumque in arte principum virorum conſimilis argumenti*

commentationes, cura et ſtudio Guinth. Chriſtoph. Schelhameri, Helmſt. 1687. 4. *Cum praefatione Frid. Hoffmanni, Halae,* 1726. 4. Multa non male propoſita habet de ſectis medicorum aliisque ad hiſtoriam medicinae ſpectantibus, plura tamen ad hiſtoriam literariam medicinae & ſingularum ejus diſciplinarum.

Danielis Clerici, ſummi viri, hiſtoria medicinae primum Gallice prodiit ſine nomine auctoris, Genev. 1696. 12, poſtea auctior edita Amſtelodami, 1702. 4. iterum auctior Amſtelodami, 1723. 4, quae editio recuſa eſt Hagae Comitum 1729. 4. titulo: *hiſtoire de la médecine, ou l'on voit l'origine et les progrès de cet art de Siecle en Siecle, les ſectes, caet. par Daniel le Clerc. Nouvelle edition.* Hiſtoriam medicinae ad annum poſt Chriſtum natum CC. perduxit: modum continuandae ſuae hiſtoriae vſque ad mediam ſaeculi XVII. partem carptim addidit. Primum omnium hoc de hiſtoria medicinae opus eſt accuratum & ex ipſis fontibus hauſtum, vt plenius neminem candidiusque ſcripſiſſe de hoc argumento Hallerus quoque dicat in Herm. Boerhavii method. ſtudii medici pag. 984.

Joannis Freind hiſtory of phyſick from the time of Galen to the beginning of the ſixteenth Century. P. I. Londini, 1725. P. II. 1726. 8. Gallice per Stephan. Coulet, 1727. 12. III. Vol. Lati-

Latine, vertente Joanne Wigan, Lugdun. Batav. 1734. 8. & in Freindii operibus Pariſ. 1735. 4. & ſaepius. Continuavit Clerici hiſtoriam, rationem vero potiſſimum praxeos medicae habuit: neque hiſtoriam compoſuit, ſed potius ſcripta medicorum, qui temporibus, quorum hiſtoriam ſcripſit, floruerunt, excerpſit, errorum in hiſtoria ſua caeterum non expers.

Joannis Henrici Schulzii hiſtoria medicinae a rerum initio ad annum vrbis Romae DXXXV. deducta. Lipſiae, 1728. 4. Opus eſt Clerici operi longe praeferendum, in quo difficile fuerit vel vnicum errorem detegere, hinc accuratiſſimum omnium merito dicendum. Differt in eo potiſſimum a Clerici opere, quod non tam ſcientiae, quam medicorum celeberrimorum doctrinas enarratas contineat. In ejusdem praeclari viri *compendio hiſtoriae medicinae a rerum initio ad exceſſum Hadriani Auguſti*, Halae Magdeburg. 1742. 8. medicina ſectarum methodicae & pneumaticae praeclare expoſita legitur, ita vt merito dolendum ſit doctiſſimi hujus viri hiſtoriam medicinae per Saracenorum & Arabiſtarum tempora continuatam, quam fere totam elaboraverat, (vid. praefat. ad hiſtoriam medicinae ſub fin.) adhuc deſiderari.

Joannis Conrad. Barchuſen hiſtoria medicinae, in qua, ſi non omnia, pleraque ſaltem medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheſes, ſectae, caet. quae ab exordio medicinae vſque ad noſtra tempora inclaruerunt, pertractantur. Amſtelaedami, 1710. 8 Longe auctior eſt editio: *de medicinae origine et progreſſu diſſertationes*, Traject. ad Rhen. 1723. 4. Non aeque in hiſtoria medicinae, ſed potius in placitis ſectarum & theoriis medicorum celebrium enarrandis verſatus eſt, & neque in his omnia, quae notari debuiſſent, tetigit, neque erroribus, natis ex enarratione doctrinae horum virorum, qui nihil proprii habuere, & ex contrariarum doctrinarum mixtura, caret: ad vtiles tamen de hiſtoria dogmatum in medicina ſcriptores pertinet, quia antiquorum praeſertim medicorum placita ſatis bene contexuit.

Alberti Halleri literarii labores quoque huc pertinent. Edidit primum ſummus vir *Hermanni Boerhaavii, praeceptoris ſui, methodum ſtudii medici emaculatam et acceſſionibus locupletatam, Amſtelaedami,* 1751. 4. Indicem auctorum, qui in hoc libro memorantur, & ſine quo ipſe liber difficillimi vſus eſt, congeſſit ſtudioſiſſime Cornelius Pereboom, ediditque Lugd. Batavor. 1759. 4. Singulis auctoribus propria jam in hoc libro deligenter, at,

at, quod rerum dicendarum multitudo exigebat, breviter enarrata sunt. Auctores vero secundum temporum ordinem digessit singulisque propria vlterius enarravit & ad scientiarum ipsarum historiam per multa proposuit in immortalibus operibus, ad quae rite scribenda vix hominis aetatem sufficere putares, *bibliotheca* scilicet *botanica*, tom. I. Tiguri, 1771. tom. II. 1772. *bibliotheca chirurgica*, tom. I. Basil. & Bernae, 1774. tom. II. 1775. *bibliotheca anatomica*, tom. I. Tiguri, 1774. tom. II. 1777. & *bibliotheca medicinae practicae*, tom. I. Bernae & Basil. 1776. tom. II. 1777. tom. III. 1779. in 4to. Practicam medicinam ad annum vsque 1685. deduxit. Quartam partem ex schedis viri immortalis collegit & sua additit vir Cl. Joach. Dieter. Brandis, Basil. 1788. 4. quae pars vel ob auctorum indicem, sine quo hoc opus minus commodi vsus est, vtilissima est.

J. C. W. Möhsen Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg, besonders der Arzneywissenschaft, von den ältesten Zeiten, bis zu Ende des sechzehnten Jahrhunderts, in welcher zugleich die Gedächtnismünzen berühmter Aerzte, welche in diesem Zeitraum in der Mark gelebt haben, beschrieben werden. Berlin und Leipzig, 1781. 4.

Ad inferioris ordinis hiſtoriae medicinae auctores pertinent: Michael Döring, (*de medicina et medicis adverſus jatromaſtigas et pſeudiatros, Libri II, in quibus medicinae ortus, progreſſus, dignitas, et medici officium prolixe adſeritur, et particulatim tam Hippocraticae et Galenicae praeſtantia, quam empiricae, magicae, methodicae et Paracelſicae vſus atque abuſus excutitur. Gieſſae*, 1611. 8.) Joannes Neander, (*antiquiſſimae et nobiliſſimae medicinae natalitia, ſectae earumque placita. Bremae*, 1623. 4.) Joannes Bernier, (*eſſays de médecine, ou il eſt traité de l'hiſtoire de la médecine et des médecins et des ſecours de la médecine. Pariſ.* 1689. 4. *Suplément au livre des eſſays de médecine. Pariſ.* 1691. 4. Idem liber alio quoque titulo prodiit auctior: *hiſtoire chronologique de la médecine et des médecins.* Pariſ. 1695. 4. 1714. 4.) *Salomo Chriſtophorus Cellarius*, (*origines et antiquitates medicae. Halae*, 1696. 4. Diſſertatio erat filii, quam poſt obitum ejus auctiorem edidit pater Chriſtophorus Cellarius, Jenae, 1704. 8. Eadem diſſertatio legitur quoque in *Chriſtoph. Cellarii diſſertat. acad. varii argumenti, Lipſiae*, 1711. 8. pag. 232, ſeq.) Joannes Philippus Burggrav, (*Libitina ovans fatis Hygeae, Francofurti*, 1601. 8.) Andreas Ottomar Gölicke, (*hiſtoria medicinae univerſalis, qua celebrium medi-*

medicorum vitae, dogmata tractantur, adjectis observationibus criticis. Periodus I & II. Francofurti ad Viadrum, 1717. Periodus III & IV. ibid. 1718. Periodus V. ibid. 1719. Periodus VI. 1720. 8. Petinet huc quoque ejusdem *historia chirurgiae antiqua*, *Halae Magdeb.* 1713. 8.) Daniel Vink (*amoenitates philologico-medicae, in quibus medicina a servitute liberatur. Trajecti ad Rhen.* 1730. 8.) Gottlieb Stolle, (*Anleitung zur Historie der medicinischen Gelahrheit, in dreyen Theilen. Jena*, 1731. 4.) Franciscus Clifton, (*the state of physick ancient and modern briefly consider'd, with a plan for improving it. London.* 1732. 8. Gallice Paris. 1742. 8. II. Vol.) Christianus Wilhelmus Kestner, (*kurzer Begriff der Historie der medicinischen Gelahrheit Halle*, 1743. & 1748. 8.) Wilhelmus Black, (*historical sketch of medicine and surgery from their origine to the present time; and of the principal authors, discoveries, improvemens, imperfections and errors. London.* 1782. 8. Germanice: *W. Black's Entwurf einer Geschichte der Arzeneywissenschaft und Wundarzneykunst. Aus dem Englischen von Jo. Chr. Fr. Scherf, Lemgo*, 1789. 8. quae versio Anglico opere praestantior est, quod Cl. editor multa addidit & emendavit.) Nic. Riegels, (*de fatis faustis et infaustis chirurgiae nec non ipsius interdum*

terdum indiſſolubili amicitia cum medicina caeterisque ſtudiis liberalioribus ab ipſius origine ad noſtra vſque tempora commentatio hiſtorica. Hafnae, 1788. 8).

§. 8. Vtilitas tandem hiſtoriae medicinae non exigua eſt. Quomodo ars nata ſit per quasque viciſſitudines creverit, ſcitu cuique eam colentium vtile & jucundum eſt. Docet denique & veritatum medicarum inventarum cauſas, aeque ac errorum, vt hos vitando illam ſtudioſius quaeramus.



MEDI-

MEDICINA ANTIQUISSIMA.

PERIODUS I. INCERTA.

CAPUT I.

De primis medicinae originibus.

§. 9.

Homo incultus & in ſtatu naturali, quem dicunt, vivens, ſcientias neſcit, artes, ſibi vtiles, ſenſim, coactus neceſſitate, diſcit. Morbis internis & ab interna cauſa natis vix multis laborat, negligit vero, queis afficitur: naturae tamen incitamentis, quae illum alia, noxia futura, fugere, alia, ſaluti futura, ſectari, facere, docent, obtemperat, eoque modo, ſuo impulſu experientiaque ductus, ab illis mala metuit, ab his bona expectat.

§. 10. Vbi vero ejus cultura eo vſque progreſſa eſt, vt ſupernaturalem potentiam in terrarum orbem influere exiſtimet, bona, mala ſua huic adſcribit morbosque ſuos a mala ejus in ſe voluntate deducit. Hinc ſuam ad eos depellendos operam vanam putans eſſe, eos aut plane negligit, aut ab his, quos cum hac poteſtate conſortium quoddam habere exiſtimat, depelli poſſe putat.

putat. Hinc in minime cultis gentibus medicinae nulla veſtiga ſunt: nocentium tamen et juvantium obſervatio hominem, prius, quam in ſocietatem cum aliis coiret, quae facere, quae vitare deberet, docuit, obſervatione poſtea per ſocios multiplicata & certiore facta. Quarum vero cultura progreſſa eſt aliquantulum, hae medicinam ſacerdotibus ſuis & magis relinquunt. Hinc poſt nullam medicinam mere empirica: poſt empiricam prima, quae cauſas ſubeſſe autumat, ſuperſtitioſa & per religionem nata.

§. 11. Sed morbis, ab externis injuriis naſci ſolitis incultae gentes magis expoſitae ſunt: a negotiis enim, laboribusque, quibus victum conquirunt, vulnera aliaeque laeſiones externae abeſſe vix potuerunt. His ſanandis, reſtituendis, operam dederint neceſſe eſt. Hinc parens medicinae chirurgia: hinc ipſum medici nomen (ἰατρὸς ἀπὸ τῆς ἴσης) a telo deductum *a*): hinc, poſt medicinam inventam, chirurgia ab ea antiquis temporibus nunquam ſeparata.

vid. Jo. Zach. Platneri proluſ. de chirurgia artis medicae parente. Lipſ. 1721. 4. & in Opuſc. tom. II. p. 1.

Jo. Alexander Brambilla in praefat. ad librum: *Abhandlungen der K. K. Joſephiniſchen mediciniſch-chirurgiſchen Akademie zu Wien.* I. Bd. Wien, 1787. 4.

a) Sext. Empiric. adv. mathemat. Libr. I. cap. 2. pag. 225. edit. Fabric.

§. 12.

§. 12. Qui internis morbis operam dabant, belli Trojani temporibus, vt de Graecis tantum dicam, vix extabant: extabant vero, qui externis. Chiron adeo Centaurus, Aeſculapius, Podalirius, Machaon, Patroclus, morbos tantum externos ſanarunt *b*). Nota vero erant Homeri temporibus medicamenta interna, eaque medici ad internos morbos adhibuerunt *c*). Ad hos itaque morbos ſanandos poſt Trojae excidium & introductum in Graeciam cultum Aeſculapii curam demum adhibitam eſſe vero ſimile eſt.

b) Homer. Il. δ, 217. Il. λ, 808. Pindar. Pyth. III, 83. III. Heyne not. ad Apollodor. III, 10, 3. pag. 701.

c) Homer. Od. δ, 227.

§. 13. Et haec internorum morborum curatio, non alio modo, quam noxiarum & innoxiarum rerum obſervatione nata, vix alia, quam empirica & ſuperſtitioſa (§. 10.) eſſe potuit. Indeque medicinam in paucarum herbarum ſcientia primum conſtitiſſe Corn. Celſus probe dixit. Verae medicinae internae, quae, vt effectus deleantur, cauſas tollit, origines recentiores ſunt, & vix priores origine, quam ipſius, & quidem ſanioris, philoſophiae, cujus pars ipſa medicina habebatur.

Caput II.

Medicina Aegyptiorum antiquiſſima.

§. 14. Etſi penes Aegyptios literae artesque prius efflorŭerunt, quam Graeci barbariem exuerent, neque negari poteſt, quin aliqua ſaltim pars doctrinae Aegyptiacae ad Graecos defluxerit; tamen, quum proprias ſuas origines habuit Graecorum medicina, ſuamque mythologiam, progreſſaque eſt eodem plane modo apud eos, quo ſolet, ſi nihil peregrini ei admixtum eſt, Aegyptiorum in Graecorum medicinam influxiſſe primis temporibus vix credibile eſt: vt adeo, propria Aegypto, non prius notabiles in Graecorum medicina mutationes effecerit, quam poſt Alexandri M. expeditionem.

vid. Frid. Börner diſſ. antiquit. medic. Aegyptiac. exh. Vit. 1756. 4. c. fig.

§. 15. Qualis vero Aegyptiorum medicina antiquiſſima fuerit, vix ſcimus, quia fabulae plurimae eorum hiſtoria admixtae ſunt temporaque ab hiſtoricis turbata, & nullae hujus gentis reliquiae antiquitus ad nos pervenerunt. Quae de Aegyptiorum medicina ſcimus, fere omnia ad Graecorum philoſophiam & medicinam efformata ſunt. Mythologiae adeo, vt omni, ita quoque medicae Aegyptiorum ſcriptores Graecam admiſcuerunt.

Fontes, ex quibus hiſtoria gentis Aegyptiacae, ejusdemque philoſophiae & religionis repetitur, optime excuſſit

excuſſit Meiners, V. Cl. in libello: *Verſuch über die Religionsgeſchichte der älteſten Völker, beſonders der Egyptier. Göttingen*, 1775. 8. pag. 79. ſq.

§. 16. Sed proprii generis fuit Aegyptiis, vt gentibus omnibus, quae proprio auſu ad humanitatem literasque progreſſae ſunt, rerum ad medicinam pertinentium mythologia. Oſiride, rege Aegyptiorum antiquiſſimo, regnante, qui Iſidem, ſororem, in matrimonium duxit, Aegyptii feritatem depoſuiſſe dicuntur, frugibus vtiliſſimisque compluribus rebus aliis ab Iſide, agrorum vero cultu ab Oſiride inventis. Haec Hermetis conſilio facta dicuntur, ad quem veteres plurima alia inventa retulerunt. Medicina Aegyptiorum ad Iſidem potiſſimum refertur, Aegyptiorum Deam antiquiſſimam. Mythum vero de Iſide & Oſiride natum in ipſa Aegypto eſſe Nilumque, circum quem omnis Aegyptiorum mythologia vertitur, ſignificare, fertilitatis hujus terrae omniumque bonorum auctorem, vero ſimillimum eſt. Iſidis caeterum & Oſiridis, cultus antiquo jam tempore in Graeciam translatus eſt eodemque in Italia floruit *d*).

vid. Diodor. Sicul. biblioth. hiſtoric. Lib. I. pag. 13. ſeq. ed. Rhodoman. Hanov. 1604. fol.

d) Georg. Zöega nummi Aegyptii imperatorii proſtantes in muſeo Borgiano Velitris. Romae, 1787. 4. p. 252.

§. 17. Medicina Aegyptiorum penes ſacerdotes fuit, teſtibus Herodoto *e*) & Ariſtotele *f*),

& eadem Hebraeorum, poſtquam ex Aegypto egreſſi fuerant, medicina. Penes eosdem ſacerdotes erat omnis ſcientia reliqua ejusdemque exercitium. Singulas ſcientias certus ſacerdotum ordo coluiſſe videtur: medicinam ſaltim certus eorum ordo coluit.

De ſacerdotum Aegyptiorum antiquorum doctrina generatim vid. Cl. Meiners in hiſtoria doctrinae de vero Deo omnium rerum auctore atque rectore. Lemgov. 1780. 8. Sect. I. p. 43. ſeq.

e) Lib. II. p. 120. ed. Jungermanni.

f) Metaphyſicor. Lib. I. cap. I. p. 261. tom. IV. ed du Val, Pariſ. 1654. fol.

§. 18. Qualis vero ſacerdotum Aegyptiorum medicina fuerit, obſcurum eſt. Anatomes ſcientia, a pollinctura hauſta, & cadaverum inciſione ad eam neceſſaria, vix magna eſſe potuit *g*). Phyſiologia fabularum plena fuit, ſi de dierum auſpiciis, de ſeptenario numero, caet. doctrina, quod valde credibile eſt, ab iis ad Graecos tranſiit.

vid. Jo. Heinr. Schulzii hiſtoriae anatomicae ſpecimen I. §. 6. in Kurellae faſc. diſſert. ad hiſtoriam medicam, ſpeciatim anatomes ſpectantium, pag. 400.

g) Herodot. L. II. pag. 120. ed. cit. Diodor. Sicul. bibl. hiſtoric. L. I. pag. 81. ed. citat.

§. 19. Sed non ignobilis medicinae pars per ipſius Aegypti naturam apud eos nata eſt, diaetetice, quae morbos, per aeris, aquarum & locorum naturam naſci ſolitos avertere docet. Vulgatos enim in Aegypto fuiſſe eſſeque morbos cuta-

cutaneos, elephantiaſin, lepram, & antiquiſſimae leges, a Moſe datae, & omnium narrationes docent. Quibus avertendis nulla gens majorem operam dedit Aegyptia. Alia diaeta ſacerdotibus praeſcripta erat, qui ab omni fere victu animali, ab omni ſale, praeſertim marino, natroque, piſcibus, vegetabilibusque acribus, praeſertim ex bulborum genere, quibus tamen ad aedes ſuas ſuſpenſis magnam vim ad morbos avertendos tribuebant, abſtinebant, & oleo, vegetabilibus blandis, in primis fructibus, vtebantur, corporisque munditiei, loto per diem ſaepius corpore, ſumme ſtudebant. Reliqui Aegyptii ab aliis animalibus penitus abſtinebant: aliorum eſus certo per menſem die licitus erat. Quibusdam regionibus abſtinentia a capris, aliis a certis piſcium generibus praecepta. Cibus vero ex animalibus, quorum carnibus vti aut plane non, aut certis temporibus, aut certo tantum hominum ordini licebat, quae ſacra hanc ob cauſam ab Aegyptiis dicta, verum divino honore non adfecta ſunt, a Moſe non ideo prohibitus eſſe videtur, vt populum ab Aegyptia religione deduceret, verum potius, quoniam quae noxia extiterunt in Aegypto, talia quoque in Palaeſtina fore putabat. Vulgo panis ex olyra, potus Zythum, ob Nili aquam male ſanam, reliquus victus vegetabilis, ex bulbo praeſertim. Summa omnium abſtinentia, mundities, certo tempore per leges ſeverior.

vid. Herodot. Libr. II. pag. 108. ſeq. ed. citat. & qui hoc argumentum ſtudioſius perſequutus eſt, de Paaw in libro: Recherches philoſophiques ſur les Egyptiens & les Chinois, a Lauſanne, 1774. 8. tom. I. pag. 127. ſeq.

§. 20. Quae antiquiſſima diaetae praecepta (§. 19.) quum in morbis, per regionis naturam naſci ſolitis, cauſam ſuam, ſi non omnem, ſaltim plurimam, haberent, facile perſpicitur, Aegyptios, non excluſis tamen cauſis ſupernaturalibus, morborum origines antiquitus ab aeris, aquarum, locorum, aſſumptorum vitio deduxiſſe, in quibus ſanandis diaetae, abſtinentiae, operam tantam dabant *h)*, vt in morbis nihil, niſi poſt diem quartum, lege adſtricti ſcripta, moverent *i)*. Clyſterum primus vſus ad Aegyptios, per ibidem avem edoctos, refertur. Antiquus quoque ſcarificationis, venarum inciſionis Aegyptiorum mos fuit *k)*.

h) Herodot. Libr. II. pag. 118. Diodor. Sicul. biblioth. hiſtor. L. I. pag. 73.

i) Ariſtoteles de republica Libr. III. cap. 15. t. III. pag. 478. ed. citat. Diodor. Sicul. l. c. p. 74.

k) Proſp. Alpin. de medicina Aegyptior. L. II. c. 1.

§. 21. Medicinam efficacem, at arcanam, Aegyptios ſacerdotes ad lepram habuiſſe & viperas partem ejus fuiſſe principem, quidam autumarunt *l)*. Sed etſi viperarum ad hoc morbi genus vſus ab Aegyptiis ad Graecos tranſiit, Aegyptios tamen talem medicinam habuiſſe ideo non credi-

credibile eſt, quod ipſi, Hebraeique, huic morbo potius avertendo, quam curando, operam darent. Vniverſam leproſorum curam apud Hebraeos in cognitione morbi, non in curatione, eſſe verſatam, leges a Moſe latae docent.

l) Recherches ſur les Egyptiens. tom. I. pag. 141.

§. 22. Medicamenta Aegyptum ferre plurima, multa quidem bona, multa vero etiam perniciosa, Homerus *m*) refert. Ad eaque pertinet φάρμακον νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, quod, cum aliis, Polydamna, Aegyptia, Helenae dederat, quodque opium ſine dubio fuit.

m) Homer. odyſſ. δ. 221.

§. 23. Sacerdotibus vero Aegyptiis medicinam non, niſi ſecundum ſcriptam legem (κατὰ νόμον ἔγγραφον), quae in ſacro codice continebatur *n*), exercere licuit. Quae lex num poſtremis ſex Hermetis libris *o*), qui ad medicinam pertinuerunt, contenta fuerit, dubium eſt.

n) Ariſtot. de republ. Libr. III. cap. 15. t. III. p. 478. Diodor. Sicul. Libr. I. p. 74.

o) Clemens Alexandrin. Stromat. Libr. VI. pag. 758. ed. Potter.

§. 24. Aurum & facere & in calcem redigere potuiſſe Aegyptios, chemiae primos inventores, plurimi docuerunt, & hoc quidem loco Moſis ducti *p*), illud vero magnitudine operum, ab iis perfectorum. Sed Moſis locus difficultate non vna laborat. Gens vero Aegyptiorum parca &

ſobria, quae famem bulbo, ſitim aqua & Zytho ſedare ſolebat, opera haec non factitio auro, ſed induſtria & parſimonia parto, perfeciſſe putanda eſt. Neque auri artificioſi componendi deliramenta adeo antiqua ſunt *q*).

vid. Herm. Conring de Aegyptiorum Hermetica vetere & Paracelſicorum nova medicina. Helmſt. 1648. 4. 1669. 4.

Olaus Borrichius de ortu & progreſſu chemiae. Hafn. 1668. 4. Ej. Hermetis, Aegyptiorum & chemicorum ſapientia a Conringii animadv. vindicata. Hafn. 1674. 4.

Jo. Henr. Schulzii hiſtor. medic. Period. I. S. I. cap. II. III. IV.

Recherches philoſophiques ſur les Egyptiens & les Chinois, par Mr. de P. t. I. pag. 376.

p) Exod. XXXII, 20.

q) Wiegleb *hiſtoriſch-kritiſche Unterſuchung der Alchemie. Weimar*, 1777. 8.

Caput III.

Medicina Graecorum antiquiſſima.

§. 25. Graeci, penes quos medicina diutiſſime floruit, ejus inventionem quoque ad Deos retulerunt, ita vt quando apud eos exorta ſit, & quaenam initia habuerit, minus certum ſit. Dum vero externos morbos antiquitas ad externas eorum cauſas retulit, ſenſu quoque rudiore percipiendas, internos morbos cum eorum ſanationibus antiquiſſima Graecia ad Deos retulit, Apollinem in primis & Jovem, & hoc quidem modo,

vt

vt & Deorum ſummam poteſtatem ſubintelligeret, qua rerum naturam regunt, & coeli, ſolis, vim naturalem, quam ad producendos & depellendos morbos habere antiquitus obſervatum eſt. Hinc mythi de Graecorum majoribus Diis duplici modo intelligendi ſunt.

§. 26. Omnis enim priſcorum hominum hiſtoria ſcientiaque quum a mythis procedat, hique & naturales eventus, & eos, qui ſupra hominis poteſtatem ſunt, tanquam perſonas exhibeant, medicinam etiam antiquiſſimam his comprehenſam Graeci exhibuerunt. Hinc morbos mortesque, quae ſine cauſa accidere videbantur, cum non viderent, cui adſcribere poſſent, potentiamque, quae plus quam humana vis efficere poſſet, cognoſcerent; cumque alii ejusdem poteſtatis beneficiis gauderent, alii e contrario male afficerentur ab his, quae procedere ab eadem poteſtate putabant, facile factum eſt, vt ſanitatem bonae numinis in eos voluntati, morbos vero mortesque malae adſcriberent.

§. 27. Quibus (§. 26.) accidebat, vt cum per eventus naturales corpora affici perſpicerent, hique eventus ab influxu coeli, ſolis, oriri viderentur, hos horum poteſtati adſcriberent. Quia vero in primis humani generis incunabulis difficiles ideae ſunt, quae ſine abſtractione quadam formari nequeunt, ipſum hoc coelum, huncque ſo-

lem ſub perſonis ſibi finxerunt, a quibus, quae corporibus ſuis accidebant, bona & mala quaevis deducerent. Sic Jovis ſalvatoris (ζεὺς σωτὴρ) idea nata *r*): ſic Apollinis, & conſervantis ſalutem corporum, & illam male afficientis.

r) Ariſtot. de mundo, cap. 7.

§. 28. Primae hinc medicinae origines Diis iſtis majoribus Graeciae merito adſcribendae ſunt, neque iis, quos poſterior aetas ſemideorum, ſive heroum nomine coluit. Quum vero multiplex eſt corporis laedendi apud gentes, quae ad prima humanitatis initia perveniunt, occaſio, tam ab internis, quam ab externis cauſis, & ab his maxime nata; facile liquet, gloriam non parvam apud eas his eſſe debere, qui his laeſionibus ſanandis operam impendunt. Vbi vero ſanationis ſcientia ab his ad poſteros proceſſit, hi in illis potentiam quandam, humanae naturae vires ſuperantem, facile ſuppoſuerunt, ipſamque adeo ſcientiam ad homines retulerunt, in quibus ſub humana forma divinitatis quaedam potentia latere videretur. Quumque divinum tale a mortalibus naſci non poſſet, a Deo homineque procreati eo facilius videri potuerunt, quum ex parte dotibus valerent artibusque, naturam humanam excedere viſis & vni alterive majorum Deorum propriis, ex altera vero parte corpus haberent, quod & laedi poſſet, & morte opprimi, adeoque humanum eſſet.

§. 29.

§. 29. Eoque modo (§. 28.) heroum idea nata eſt, cum omnium, tum medicorum. Vixiſſe enim Aeſculapium & floruiſſe medicinae ſumma fama, non longe ante Trojae excidium tempore, certum eſt. Poſterior aetas eum a Deo, inventore medicinae, generatum, a ſemideo medicinam edoctum tradidit, admiratione ſcientiae ſanandi ducta. Natum eum docuit mox in terris, quibus rari, mox quibus frequentes morbi eſſent. Hinc Aeſculapii origines in mythis antiquis non eaedem ſunt, vt mox in hac, mox in alia terra, mox hac, mox illa matre natus dicatur. Quoniam autem per Aeſculapium ſanationis ſcientia ad homines pervenit, adeoque per eum & ſanitas ſervata, reſtituta eſt, & medicina ad adverſam valetudinem inventa, filias habuiſſe, ſeu, quod idem eſt, eo auctore ortas eſſe Hygeam, ſive ſanitatem, Jaſonem & Panaceam, ſeu medelam omnium, mythi appoſite docuerunt.

§. 30. Eaeque (§. 25-30.) numinum medicinalium origines in ipſa Graecia fuiſſe videntur. Sed antiquiſſimis jam temporibus Deorum cultui in Graecia multa peregrina admixta fuere: quaedam adeo numina ex aliis terris in Graeciam delata ſunt. Aegyptiorum mythologia, antiquis jam temporibus Graecae permixta, etiam medicinales Graecorum Deos tetigit. Aeſculapium in Aegypto natum eſſe fabula antiqua erat *s*). Non pauca quoque ad Iſidis cultum pertinentia ad me-

dicinalia Graecorum numina relata ſunt. Junonis Lucinae in Latio ideae non pauca ex Aegypto admixta erant.

s) Cicero de natur. Deor. III, 22. Clement. Alexandr. cohort. ad gent. p. 24. Stromat. I, 16. p. 362. ed. Potter.

§. 31. Etſi vero medicina Graecorum ſua numina ſuosque heroas habuit, non tamen putandum eſt, reliquos Deos Deasque Graecos tales ſibi finxiſſe, qui nullam curam humanae valetudinis gererent. Quem enim alium finem homo in colendis Diis habere potuit, quam vt ſaluti ſuae proſpiceret, adverſa averteret, ſecunda peteret? Hinc inter majores Deos non ſunt, quibus Graeci ſupremam valetudinis curam non adſcripſerint: hinc fere cuique majorum Deorum nomina data, quibus in primis ob valetudinem culti ſunt. Hinc quoque in Hippocratis jurejurando medica quidem numina primo leguntur loco poſita; ſed omnium Deorum Dearumque mentio non omiſſa eſt *t*).

t) Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ θεὰς πάντας καὶ πάσας ἵστορας ποιεύμενος, κ. τ. λ. Hippocr. jusjurand. tom. I. p. 42. Oper. ed. Linden.

§. 32. Sic Jovi cum arbitrium totius vitae humanae eſſet adſcriptum, ab hoc valetudinis hominum cura abeſſe non potuit. Inde Jupiter vrbium cuſtos, πολιεὺς, ſeptitius, ἕρκειος, qui vniver-

versae domus & familiae domum inhabitantis curam gereret, foci praeses, ἑφέσιος, supplicum propugnator, ἱκετήσιος, consiliator, μήσως, servator, σωτὴρ, caet. dictus. Sic Junoni, Deorum reginae, arbitrium rerum humanarum commissum: sic Minervae, quae etiam medici numinis dignitate Athenis culta est, cognomina plurima a consilio fuere, caet.

§. 33. Sed vt ad medica Graecorum numina redeam, Alma Deum mater, Cybele, Croni fratris conjux, antiquissimis temporibus in Phrygia, dein in reliqua Graecia culta, salutem hominum, inprimis puerorum, restituisse fertur, incantationibus et lustrationibus conciliata, quod ad antiquissimum omnium gentium morem, quo numinis iram in morbis expiabant, referendum est *u*). Parturientibus quoque, cum reliquis Deabus, praefuit *x*).

u) vid. Diodor. Sicul. bibl. historic. L. III. p. 191. 192. ed. Rhodom. Jo. H. Schulzii hist. med. period. I. S. II cap. I. §. 4. seq.

x) Latonae opem tulit cum Deabus aliis, Apollinis partu per novem dies laboranti. v. Homer. hymn. in Apollinem v. 93. seq.

§. 34. Jupiter, ex Crono & Rhea natus, qui, vt omnibus rebus mortalium, ita quoque eorum valetudini praefuit (§. 32.), triplicem prolem habuit medicam, ex Latona Apollinem & Artemidem, & ex suo cerebro Palladem. Quibus hominum salus ab antiquis in primis adscripta est.

Τριστ-

Τρισσοὶ ἀλεξίμοροι, trini malorum mortisque vindices vocantur apud Sophoclem in Oedipo tyranno v. 168. roganturque vt Martem, peſtilentiae auctorem, propulſent. cf. Schulzii hiſt. med. period. I. S. II. cap. 1. §. 6.

§. 35. Apollo (§. 34) antiquiſſimum Pelaſgorum numen, ſolis ſymbolum, adeoque bonorum omnium et malorum, ab hoc ſidere profectorum, auctor, qui telis ſuis, radiis videlicet ſolis, mala orbi, hominibus inferret, ſaltim his mortalia tangeret, hincque τοξόφορος, arcum ferens, ἑκάταιος, ἑκάεργος, ἑκατηβελέτης, longe jaculans, dictus, qui vero & bene hominibus faceret malaque eorum & averteret, & ſanaret, indeque ἀποτρόπαιος, ἀποπόμπαιος, ἀλεξιφάρμακος, ἀλεξίκακος, ἀκήσιος, ἔλιος, σωτὴρ, ἐπικούριος dictus *y*), vaticiniorum quoque Deus fuit, & quum medicis quoque futuros in morbis eventus praediceret, ἰατρόμαντις appellatus eſt.

y) Mala bonaque a ſole prodeuntia antiquitas ſcite fabulis intexuit. Sic Niobe, poſtquam ſe plurium filiorum matrem eſſe gloriaverat, quam Latona eſſet enixos, omnes filios ſuos, vnico Amphione excepto, perdidit, ab Apolline (ſolis ictu) a Latona concitato, dum venabantur, necatos. vid. Apollodor. biblioth. L. III. c. 5. pag. 195. ed. Heyne. Sic non pauca loca in Homeri carminibus occurrunt, de Apolline, qui telis ſuis homines occiderit, vid. odyſſ. γ. 280. et Euſtath. ad hunc loc. cf. Callimach. hymn. in Cererem. v. 102. vel alia mala hominibus, terris, intulerit. vid. Homer. hymn. in Apoll. v. 47. cf. Feith antiq. Homer. Libr. I. cap.

cap. 2. Sed quoque telis ſuis mala hominum ſuſtulit, vid. elegantiſſimam fabulam de Pythone ſerpente Apollinis telis ſublato apud Ovidium, in metamorph. Lib. I. v. 436.

§. 36. Apollini autem inventae medicinae honor tributus ab antiquis eſt *z*), et talis quidem, vt pro ſummo medicinali numine haberetur *a*), etſi ſanationum ab eo perfectarum hiſtoriam fabulae nullam referant. Ipſam tamen παν̓άκειαν crines Apollinis deſtillare, omniaque in illa vrbe reddi immortalia, qua illae guttae in terram deciderint, Callimachus *b*) refert.

z) Sic Schol. Homeri ad Iliad. α. v. 603.
Τέσσαρες τέχναι ἀνατίθενται τῷ Ἀπόλλωνι, μαντικὴ, τοξικὴ, ἰατρικὴ, μαντικὴ.
Et Callimachus hymn. in Apoll. v. 45.
ἐκ δέ νυ Φοίβε
ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.
Et Ovidius Metam. I, 520. Apollinem ita loquentem exhibet:
Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

a) Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, primum medicorum numen nominat Hippocrates in jurejurand. p. 42. t. I. oper. ed. Lind.

b) hymn. in Apoll. v. 39.

§. 37. Diana (§. 34.) lunae ſymbolum, hinc Apollinis ſoror, venatrix, cincta canibus, telis inſtructa, quibus veteres lunae ſplendorem exprimere voluerunt, fere eadem & bona & mala hominibus, quae Apollo, intuliſſe dicta eſt. Σώ-

τειρα

τειρα dicta, ob ſalutem & beneficia, verum quoque ſagittis gaudens, ἰοχέαιρα, & longe jaculans, quae irata hominibus gregibusque peſtem immitteret efficeretque, vt tactae ab illa exſpirarent puerperae *c*).

c) Callimach. hymn. in Dian. v. 122. ſeq. cf. Orphei hymn. in Dian. n. 35. v. 13. ſeq. p. 230. ed. Geſner.

§. 38. Recentior idea eſt Dianae parturientibus ſuccurrentis, quam tamen Callimachus optime effictam jam habuit *d*). Homerus enim Dianam λοχείαν non norat, norat vero εἰλείθυιας, Junonis filias, amaros dolores habentes, partuum praeſides *e*), quarum vna Latonae, Apollinis partu per novem dies laboranti, irrito Dearum omnium auxilio, partum levavit *f*). Eaque de Dea partuum praeſide idea poſtea ad Dianam translata eſt *g*), quae hinc facem manu tenens a poetis ficta et εἰλείθυια, λοχεία, λοχία dicta eſt. Romani eam ſub Junonis Lucinae nomine coluiſſe videntur *h*).

d) hymn. in Dianam. v. 20. ſeq.

e) Homer. Iliad. λ. v. 270.

f) Homer. hymn. in Apoll. v. 97. ſeq. Hoc tamen officium Latonae a Diana praeſtitum eſſe memorat Callimachus hymn. in Delum v. 32. & 257. vt inde pateat ideam de Diana parturientibus opem ferente temporibus inter Homerum & Callimachum eſſe natam.

g) Quae hinc etiam nomen, quod Junonis filiae habuere, accepit. Munus vero parturientibus ſuccurrendi ei ideo datum eſt, quod Latona illam ſine dolore

dolore vllo enixa erat. v. Callimach. hymn. in Dian. v. 24. 25.

h) Catull. carm. ſaecular. ad. Dian. v. 13. 14.

§. 39 Minerva, ex Jovis cerebro nata, conſilii, prudentiae, fortitudinis bellicae, artium ſymbolum, non ob id ſolum medicinalis Deae gloriam meruit, quod conſilio ſuo hominibus in quacunque re prodeſſet, ſed quoque πολῖτις Athenarum Dea ſalutis civium curam gerere diceretur. Hinc Pericles ſimulacrum τῆς ὑγείας Ἀθηνᾶς Athenis poſuit *i*) poſtquam Dea artificem ipſum de ſalute operario reſtituenda per ſomnium certiorem fecerat.

i) Plutarch. in Pericle. cf. Schulzii hiſtor. medic. period. I. S. II. c. 1. §. 24.

§. 40. Mercurius, Jovis ex Maja filius, duplici de cauſa inter medicinales Deos memorandus eſt, quod & certaminum gymnaſiorumque auctor extitiſſe dicebatur, ejusque erat animas in orcum deducere, ex eoque reducere *k*), quam ideam ſerior aetas ad Aeſculapium tranſtulit *l*). Ob quod Mercurius ψυχοπομπὸς, ψυχαγωγὸς, dictus eſt. Coluiſſe κριοφόρον Mercurium Meſſenios & Janagraeos, quoniam urbes a peſtilentia liberaverit, circumlato in murorum ambitu ariete, Pauſanias *m*) refert.

k) Hemſterhuis in Lucian. t. 1. p. 107.

l) Q. Seren. Samonic. carmen de medicina v. 7. ubi vid. a me in edit. Lipſ. 1786. 8. notata.

m) pag. 362. & 752. ed. Lipſ. Schulzii hiſt. med. l. c. §. 37.

§. 41.

§. 41. Medicinalis vero ſcientia quoniam per Aeſculapium maxime culta eſt, qui primum, poſt Apollinem, locum inter medicinalia numina obtinuit, is a veteribus pluribus locis, ſalubritate claris, natus dicitur. Antiquiſſima fabula eſt, quam & Epidaurii tuebantur, quamque Apollo ipſe oraculi reſponſo confirmaſſe dicebatur, Aeſculapium in Theſſalia, ad Boebeidis paludis ripas natum eſſe, patre Apolline, matre vero Coronide, filia Phlegyae regis *n*). Cum vero gravida Apollinis concubitu Coronis facta cum Iſchye, Arcade, concubuiſſet, actus in iram Deus Dianam, ſororem, concitavit, vt Coronidem ſagittis ſuis interficeret. Quo facto quum exanimata Coronis in rogo eſſet collocata, Apollo, ſobolem ſuam flamma perdi, matris calamitate, nolens, puerum ex cadavere vivum exemit, & Chironi Centauro tradidit, qui eum feras venari & morbis hominum mederi doceret *o*). Aeſculapium patre Apolline, matre Arſinoe, natum eſſe alia fabula eſt *p*). Et ex his diverſis poetarum de Aeſculapio narrationibus fabula de pluribus Aeſculapiis nata eſt. Graeci enim vnum Aeſculapium habuere, eumque indigenam, quem tamen diverſis locis natum dixerunt. Fabula quoque de Aeſculapio Aegyptio *q*) Homero & ipſo Pindaro recentior eſt.

n) Homer. hymn. in Aeſculap. v. 2. 3. Pindar. Pyth. III, 14.

o) Pindar.

o) Pindar. Pyth. III, 14. ſeq. Apollodor. biblioth. III, 10. 3. vbi vid notat. ab Ill. Heyne pag. 695. 696. Notante Pauſania Coronis in monte ad Epidaurum Aeſculapium peperit, a capra nutritum et a cane cuſtoditum. vid. Pauſan. in Corinth. p. 68. ed. Xylandr. cf. Lactant. inſtit. L. I. cap. 10.

p) Apollodor. biblioth. III, 10. 3. pag. 233. ed. citat. vid. & de Aeſculapii originibus ſchol. ad Pindar. Pyth. III. nec non Pauſan. in Corinth. p. 68. & in Arcadic. pag. 257. edit. citat. & Strabo, XIV. p. 957. ed. Almelov. qui ad fluvium Lethaeum, circa Triccam Theſſaliae Aeſculapium natum eſſe dicit. cf. Ovid. Metamorph. II, 534. 596.

q) Clemens Alexandr. ſtromat. L. I. p. 399. ed. Potter. Ammian. Marcell. Lib. XXII. p. 228. ed. Valeſ. le Clerc hiſt. de medec. L. I. ch. 8. pag. 21.

§. 42. Poſtquam a Chirone Centauro, Saturni & Philyrae filio, fero corpore, at animo humaniſſimo, ad quem horum temporum heroes venationis et aliarum artium diſcendarum cauſa confluebant, quique primus equos domare homines docuit, quam ob cauſam corpore ex dimidia parte humano, ex dimidia equino pingitur, medicinam et venationem edoctus fuerat *r*), Argonautarum expeditioni interfuit. Medicinam fecit, & talem quidem, vt homines non a morte ſolum prohibuerit, ſed mortuos quoque in vitam revocaverit. Jupiter vero, veritus, ne ſuus apud homines cultus vileſceret, cum ab alio opem ipſis ferri viderent, fulmine Aeſculapium tetigit. Quod Apollo indigne ferens, Cyclopas, qui ful-

men praeparaverant, non ſine Jovis ſumma indignatione *s*) occidit.

r) Apollodor. biblioth. III, 10. 3. pag. 234. ed. Heyne.

s) Apollodor. l. c. pag. 235.

§. 43. Et haec fere ſunt, quae grata erga tantum virum poſteritas non ſine varietate *t*) fabulata eſt de vita Aeſculapii. Quum autem univerſus de Aeſculapio mythus ad hiſtoricos referendus ſit, qui ſcilicet origines et res geſtas viri comprehendat, a poetis varie exornatas, ſcire intereſt, quid effeciſſe in medicina Aeſculapium credibile ſit: omnia enim effeciſſe, quae recentius aevum ei adſcripſit et antiquius ignorabat, vix putandum. Et quidem, quod Apollodorus *u*) optime monet, qui priſcas de Aeſculapio narrationes maxime ſequitur, τὴν χειρουργικὴν inprimis exercuit, &, Pindaro praeclare enarrante *x*), talem, vt vlcera ſponte nata, aut vulnera armis aut ſaxo inflicta, et corporis laeſiones alias a cauſis externis, frigore, calore, quas Pindarus expreſſe memorat, pendentes, medicamentis internis aut circum membra poſitis, aut quoque ſecto vulnere, ſanaverit, aut mollibus incantationibus (μαλακαῖς ἐπαοιδοῖς) deliniverit.

t) cf. de Aeſculapio Homer. hymn. in Aeſculapium. Pindar. Pyth. od. 3. quae tota Aeſculapii hiſtoriam enarrat, & ſcholiaſt. Pindar. Plato Politicor. III. pag. 304. Vol. VI. edit. Bipont. Ariſtides, qui ipſe Aeſculapii ſacerdos fuit, orat. in Aeſculapium, nec

nec non in Aſclepiadas, Podalirium & Machaonem, nec non in laudem putei ſacri Pergameni, quae orationes, cum pluribus aliis ejusdem auctoris editae ſunt gr. lat. c. verſione Guil. Canteri oliva Pauli Stephani 1608. 8. III. Voll. Galenus, qui pluribus locis multa de Aeſculapio tradidit & Pauſanias, in compluribus locis Graeciae ſuae. Ex recentioribus optime illuſtrarunt de Aeſculapio fabulas Jo. Henr. Meibomius in comm. in jusjurand. Hipp. Lugd. Bat. 1643. 4. cap. V. pag. 35. & praeter Dan. Clericum & Schulzium Cl. quondam Altorfinus Profeſſor, Chr. Gottl. Schwarzius in diſſ. de Aeſculapio & Hygea, Diis φιλάνθρωποις Altorf. 1725. & Juſtus Gothofr. Gunzius in diſſ. qua δαιδαχίας in ſacris Aeſculapii exponit. Lipſ. 1737. Multa quoque eaque utiliſſima de Aeſculapio habet Ill. Heyne in not. ad Apollodor. biblioth. III, 10, 3. p. 691.

u) biblioth. III, 10, 3. p. 234.

x) Pyth. III. 83 ſeq.

§. 44. Eaque (§. 43.) ſatis probant, Aeſculapium morbis externis potiſſimum medelam feciſſe, quibus quoque filii ejus reliquique heroes Trojani belli temporibus operam plurimam dederunt. Incantationes, antiquiſſimam medendi morbis viam et prius adhibitam, quam medicamentorum vis nota eſſet (§. 10. 33.), quod attinet, hae ad morbos ſine externa laeſione, et cum ea ab antiquiſſimis temporibus adhibitae ſunt, et ad dolores mulcendos, et ad ipſa adeo vulnerum ſymptomata percuranda. Quae Galenus *y*) de medicina perfecta ab Aeſculapio inventa, et de incantamentis ab Aeſculapio ad animi motus aegrotantium

tium ſedandos ſcripſit z) et Hyginus de clinica Aeſculapii medicina *a*), quae denique interpretes Pindari *b*) ſomniarunt de tribus partibus medicinae, diaetetica, pharmaceutica & chirurgica, ab Aeſculapio culta, fabulas redolent.

y) Galen. introduct. ſive medic. cap. I. pag. 361. t. II. ed. Charter.

z) Galen. de ſanitate tuenda L. I. cap. 5. p. 44. tom. VI. ed. citat.

a) Hygin. cap. 274.

b) vid. Eraſm. Schmidii not. ad Pindar. Pyth. III. pag. 119.

§. 45. Quo tempore Aeſculapius Diis adſcriptus fuerit in Graecia, incertum eſt. Sunt, qui mox poſt Argonautarum expeditionem id eſſe factum putent *c*), ſunt vero quoque, qui eum Homeri temporibus, aut ſaltem Trojani belli, Divum honore nondum gaviſum eſſe dicant *d*). Sed Homeri aetate Aeſculapium divinos honores jam eſſe conſequutum hujus poetae in Aeſculapium hymnus docet.

c) Clem. Alexandr. ſtrom. I. p. 382. ed. Potter.

d) Et quidem loco Homeri ducti, qui Iliad. *δ*. 194. Aeſculapium celebrem medicum, non vero Deum dicit. cf. Theodoret. de martyr. Serm. VIII. p. 596. t. IV. Sed aliis jam Homeri locis veteres vſi ſunt, ad Aeſculapii divinitatem probandam. v. Pauſan. in Corinth. p. 69. ed. Xylandr.

§. 46. Relatus autem eſt in Deorum numerum ob medicinae beneficium, cujus artem primum cum ſucceſſu quodam exercuiſſe videtur, homi-

hominibus praeſtitum, nihilominus tamen progenies ejus, quae omnis medicinae ſcientia pollebat, eaque primum fere ſola, deinde ad Hippocratis vſque tempora plurima ex parte floruit, non parum ad hunc honorem illi conciliandum contulit. Non enim dubium eſt, quin poſteri Aeſculapii, profitentes ſe artem ab ipſo proavo ſuo accepiſſe, ejusque potenti auxilio morbis mederi, apud populum, qui ſalutem non a poſteris Aeſculapii ſed ab ipſo Deo, accipere putabat, effecerint, vt divino cultu ipſe Aeſculapius afficeretur. Nunc medicina omnis huic tributa, quam ab Apolline accepiſſe dicebatur: nunc Apollinis, medicinae Dei, filius dictus: nunc omnis in morbis ab Aeſculapio ſalus expectata. Ipſe Deus σωτὴρ, ἤπιος, ἠπιοδώτης, φιλάνθρωπος, ἐπικούριος, πολιοῦχος, caet. *e)* apellatus: nunc templa Deo condita, altaria dedicata, ſacra propria inſtituta.

e) Ch. Gottl. Schwarz diſſ. de Aeſculapio & Hygea Diis φιλάνθρωποις. Altorf. 1725.

§. 47. Praeter filios, Podalirium & Machaona, medicos & heroas Trojani belli, qui inter Deos non relati ſunt, filias habuit Aeſculapius, praeter alias, quarum fama apud antiquos vix magna fuit *f)*, Hygeam atque Panaceam, vtrasque, & illam in primis, Deas medicas, quibus antiquitas ſine dubio ſanitatem, quae ex medicinali auxilio profluit, & ad omnes morbos medelam exprimere voluit g).

 f) vid.

f) vid. Scholiaſt. Ariſtoph. ad Plut. v. 639. 701. Suidas ſ. v. ἠπιόνη.

g) vid. hymn. in Hygeam inter Orphicos hymnos pag. 165. ed Eſchenbach.

§. 48. Panaceae cultus Graecis parcior fuiſſe videtur. Hygea vero vtplurimum in ipſis Aeſculapii fanis culta eſt *h*). Aeſculapii vero & Hygeae cultus in Graecia poſt Trojani belli tempora invaluit ejusque religio primum in Peloponneſo, vbi & plurima templa habuit, & antiquiſſima, exorta eſſe videtur. Epidaurium, in quo artificioſiſſimum Aeſculapii ſignum erat *i*), Pergamenum, Argivum, ad celeberrima Aeſculapii templa pertinebant *k*). Eaque templa locis elatis, puro aere cinctis ſtructa erant: luci in eorum vicinia: ambitus amplus. Quum Epidauri & in aliis Aeſculapii templis nefas eſſet hominem aut naſci, aut exſpirare, aedes ad recipiendos ſacerdotes eosque, qui numinis auxilium ob morbos implorabant, conſtitutae erant.

h) Schwarz. diſſ. §. 15. Reliquae etiam filiae Aeſculapii in ejus fanis cultae ſunt, quod probat Ariſtophanes in Pluto, v. 735. Hygeam cum Dea ſalute miſcuit, hinc permulta falſa de ea ejusque cultu apud Romanos protulit Claudius Groſaeus de Boze, in libello: diſſertation ſur le culte, que les anciens ont rendu à la Déeſſe de la Santé. a Paris 1705. 8. p. 9. ſeq.

i) Clem. Alexandrin. exhort. ad gent. pag. 46. cf. Pauſan. Corinthiac. pag. 69.

k) Tem-

k) Templorum Aeſculapii catalogum dedit, maxime ex Pauſania, Jo. Henr. Schulzius in hiſt. medic. period. I. S. II. c. 4. p. 117.

§. 49. Aeſculapius in monumentis ſtans vtplurimum cernitur, ſenis comati & barbati, innixi baculo nodoſo, quem draco nexibus ambit, forma Jovi ſimili, raro admodum nudus, niſi pectore & dextro brachio. Reliqua pallio tecta compoſito & in ſiniſtrum brachium rejecto. Sed haec non vnica forma eſt. Epidauri throno inſidebat, altera manu baculum, altera draconem tenens, cujus caput manu comprimebat, cane ad pedes decumbente. Alia ſimulacra nummique cum draconem manu tenentem, ſedentem in ſolio, ſtantem, caet. exhibent.

vid. Muſeum Pio- Clementin. quod exhibet Aeſculapium cum Hygea, Tom. II. tab. III. Statua nobiliſſima Aeſculapii et Teleſphori extat in aedibus Maſſimi. vid. Raccolta delle ſtatue antiche tab. 132. cf. Muſeum Florentin. tab. XXII. Alia extat in hortis Pamphilianis. Aeſculapii effigies extat in gemmis antiquis caelatis Phil. de Stoſch n. XVIII.

§. 50. Raro ſolus cernitur Aeſculapius, ſed vtplurimum comite Hygea, interdum vna aliave e caeteris filiabus. Hygeam agnoſcas ex veſte alba, talari, nec non ex patella, quam manu tenet, cui maza impoſita, ad quam draco adſpirat, quem non raro altera manu comprehenſum tenet. Subinde puer adjunctus eſt Aeſculapio et Hygeae, nominis incerti & originis, forte Aegyptiacae,

Harpocrates enim, Oſiridis ex Iſide filius poſthumus, eſſe videtur: vt adeo haec monumenta ad Aeſculapium Aegyptium (§. 41.) pertinere videantur. *l*)

Hygeae ſtatua praecipua extat in aedibus Juſtinianeis. vid. Galleria Juſtinian. tab. VIII. Eandem exhibet Sandrart in libro: Akademie der ſchönen Künſte. tom. II. lit. h. h. Aliam exhibet Muſeum Florentin. tab. XXIV. De alia Hygeae ſtatua quae in muſeo Herculanenſi ſervatur, eaque optime elaborata vid. Winkelmann Sendſchreiben aus dem Herkulan. p. 33.

l) Quod jam autumavit Jo. Henr. Schulz in hiſt. medic. period. I. S. II. c. 4. §. 21. not. pag. 135.

§. 51. Uti ſerpens cum ſignis permultorum aliorum numinum cernitur, ita draco ab Aeſculapio vix vnquam, ab Hygea raro abeſt. Illudque genus animantium placidum atque mite ſola Epidaurus nutriebat *m*), inde in alia fana Aeſculapio conſecrata translatum. Ipſe enim Deus hac forma latere putabatur, notaque eſt de Aeſculapio in inſulam Tiberinam ſub draconis forma translato narratio. Caeterum Aeſculapio gallus ſacer erat *n*), vigilantiae, vti canis, qui cum ſignis ejus ſubinde conſpici ſolet, ſymbolum.

m) Pauſan. Corinth. p. 55. 70. ed. Xylandr. Draconis imaginem ex antiquiſſimo codice Dioſcoridis, quam Schulzius repetiit p. 136. vid. in de Neſſel catalog. biblioth. Caeſar. Mst. part. III. fig. L. ex antiquiſſimo Dioſcoridis & Eutecnii paraphraſis in Theriaca Nicandri codice.

n) Plato in Phaedon. p. 266. Vol. I. ed. Bipont.

§. 52.

§. 52. Sacerdotium Aeſculapii antiquiſſimis temporibus penes ipſos Aeſculapii poſteros fuiſſe videtur, adſcitis tamen aliis quoque in eorum ſocietatem, cum cultus Aeſculapii percrebruiſſet in Graecia. Ante Hippocratis tempora raro alii Aeſculapii ſacerdotes, ſive Aſclepiadae, niſi de poſteris Aeſculapii, conſtituti ſunt: poſtquam vero in ſcholis Aſclepiadarum aliis quoque, praeter ipſos Aſclepiadas, medicinam diſcere licebat, ars cum ipſo numinis ſacerdotio magis pervulgata eſt. Antiquiſſimis vero temporibus Aſclepiadae medicinam, quaſi propriam artem, docendo exemploque ad filios poſterosque ſuos propagabant, aegrotantibusque, qui ad templa Aeſculapii ſupplices confugiebant, opem ferebant. Praecepta aegrotantibus et medicamenta dederunt Dei juſſu ſui, ita vt medicinam non ſuam exercere viderentur, ſed ab ipſo Aeſculapio praeceptam.

§. 53. Supplices ad numinum templa omnium confugere ſolebant, vt a Diis peterent, quae ad ſalutem ſuam pertinere exiſtimabant. Ad Aeſculapii fana morborum cauſa confugiebant, vt a Deo aut per ſomnium edocerentur, quid valetudini ſuae recuperandae prodeſſet, aut ipſius numinis auxilio ſani evaderent. Ad quod praeparati luſtratione, corporisque purgatione, quae, ſi fieri poterat, lotione cum marina aqua peragebatur *o*), ſacrificio Deo oblato in ipſo templo decubuerunt, dormientes in eo aut ſomnum ſi-

mulantes per ſomnium de ſalute ſua edocti, aut per ſacerdotes, qui Aeſculapium ipſum ſimulabant, certiores redditi. Ipſum Deum medicamenta adminiſtrare aegris incubantibus templo putabant, comitatum filiabus ſuis, quae ipſi in medela auxilio erant *p*). Dracones quoque ex mandato Dei ad ſalutem aegrorum ſua praeſtabant *q*).

o) Ariſtophanes in Plut. v. 656. 657.

p) Jaſonem & Panaceam memorat Ariſtophanes comitantes Aeſculapium in Plut. v. 701. 702.

q) Ipſi Pluto dracones linctu caecitatem ſuſtuliſſe, oculis antea per Panaceam praeparatis, Cario lepidiſſime narrat in Pluto Ariſtophanis v. 735. De incubatione in templis Aeſculapii valetudinis recuperandae cauſa vid. Ariſtoph. in Plut. a verſu 653. vbi Cario incubationem Pluti in templo Aeſculapii Athenienſi fuſe enarrat. cf. quoque Henr. Meibomii praeſ. Herm. Conring diſſ. de incubatione in fanis Deorum medicinae cauſa olim facta. Helmſtad. 1659. 4. & Car. Frid. Hundertmark diſſ. de artis medicae per aegrotorum apud veteres in vias publicas & templa expoſitionem incrementis. Lipſ. 1739. 4.

§. 54. Salus non omnibus ex incubatione et ex ipſius Dei conſilio fuit *r*). Qui recuperaverant ſalutem, morbum, medelamque ejus a Deo praeceptam, lapidi, tabulae inſcriptam, in ipſo templo ſuſpenderunt, honorariis quoque ſoſtrisque additis *s*). Medela interdum per medicamenta certam vim adverſus morbos habentia erat, non raro vero ei aliquid admixtum erat, quod ad ipſum Dei cultum pertinere videbatur, quodque

que tabulae docent, quas in Aeſculapii templo in inſula Tiberina poſtera aetas reperit *t*). His tabulis vſos Aſclepiadas ipſos fuiſſe, vt earum exemplo alios, ſimilibus morbis laborantes ſalubri conſilio adjuvarent, per easque ipſam medicinalem ſcientiam Aſclepiadarum auctam eſſe, vtique credibile eſt. Indeque fabula nata Hippocratem ex iisdem in Coo templo Aeſculapii ſuſpenſis ſuos libros concinnaſſe, deinde templum, ne eadem exempla aliis eidem eſſent vſui, cremaſſe *u*).

r) Ariſtoph. in Plut. v. 724. 725.

s) Spon in miſcellan. erudit. antiquit. Sect. III. p. 132. Gruter. inſcript. p. LXX. n. 8. LXXV. n. 7. Schwarz diſſ. cit. p. 9. 19.

t) Hier. Mercurialis de arte gymnaſtica veterum L. I. p. 2. 3. Gruter. p. LXXI. n. 1.

u) vid. meam de Hippocrate tractationem in Fabricii bibl. Graec. ed. Harles. Vol. II. pag. 511.

§. 55. Medicina Aſclepiadarum qualis fuerit, ex hoc jam perſpicitur. Exemplo magis, quam inſtitutione ad filios, poſteros, tranſiit. Scientiam de natura & originibus morborum antiquiores Aſclepiadae paucam habuerunt, medicinarum vſum per ſanationum exempla edocti.

§. 56. Aeſculapio quoque ſua feſta erant apud Graecos. Dies Eleuſiniorum octavus, Ἐπιδαυρίων ἡμέρα dictus, Aeſculapii, parvis myſteriis olim initiati, memoriae ſacer erat *x*). In ipſis Aeſculapii feſtis τὰ Ἀσκληπίεια memoranda ſunt, in omnibus

nibus Aeſculapii templis celebrari ſolita, ad quae magna pars Graeciae confluebat, ludis ſolemnibus, certaminibus ſcilicet gymnicis, muſicis, ſimul inſtitutis. Μεγαλασκληπίεια Epidauri dicta, ob majorem ſolemnitatem, qua in hoc celeberrimo templo Aeſculapii haec feſta celebrari ſolebant *y*). Τὰ σωτήρια in ejusdem Aeſculapii σωτῆρος honorem celebrata ſunt, non ſine ludorum ſolemnitate *z*). Eadem σωτήρια in aliorum Deorum σωτήρων honorem inſtituta atque celebrata ſunt *a*). Alia quoque ſacra Aeſculapii in honorem celebrata ſunt, ob principum valetudinem reſtitutam, conſervatam *b*). Feſtum peculiare in honorem Aeſculapii Cois erat, ἡ τῆς ῥάβδε ἀνάληψις *c*). In Panaceae honorem τὰ Πανακεῖα inſtituta ſunt. *d*).

x) De feſtis Aeſculapii generatim cf. Spanheim epiſt. ad Morellium I. Meurſius in Graecia feriata, in theſaur. antiq. Graecar. Gronov. Vol. II. De Epidauriorum die in Eleuſiniis cf. Potter archaeolog. Graec. t. I. pag. 862. ſec. verſ. German. Rambachii.

y) Potter archaeolog. Graec. ed. cit. t. I. pag. 813.

z) Spanheim epiſt. ad Morellium I.

a) Potter archaeol. t. I. p. 938.

b) Günz diſſert. δαιδαχίας in Sacris Aeſculapii exhibens. c. IV. §. 3. 4.

c) v. Hippocratis epiſt. ad ſenatum populumque Abderit. p. 904 in Oper. t. II. ed. Linden.

d) Potter archaeol. t. I. p. 922.

§. 57. Pertinet adhuc ad fabuloſam medicinam Graecorum antiquiſſimam de Melampo, hellebori inven-

inventore, fabula, quo Proeti filiabus furentibus mentis ſanitatem reſtituiſſe fertur *e*). Pertinet quoque huc Herculis hiſtoria, Jovis ex Alcmena filii, ex cujus laboribus quidam medicinalem ſenſum exhibent, v. g. hydra Lernea ab eo occiſa, caet. *f*), Ariſtaeus, nec non Hecate, Aretis, Colchidis Regis conjux, in venenis componendis & miſcendis verſatiſſima, aconiti inventrix, quae Medeam & Circen filias habuit, vtramque incantamentis & venenis famoſam, vt & aurei velleris, Aeti per Jaſonem, Argonautarum expeditionis ducem, ablati hiſtoria. Orpheus, Thrax, qui eidem expeditioni interfuit, vaticinandi artis & muſices peritiſſimus, huc quoque, etiam ob Eurydicen ex orco revocatam, referendus eſt.

e) Herodot. Libr. II. pag. 109. Pauſan. Corinth. p. 60. Arcadic. p. 251. 252.

f) Apollodor. biblioth. L. II. c. 5. pag. 115. ed. Heyne.

§. 58. Quae omnia (§. 57.) quum ad fabuloſa tempora referenda ſint, qualis medicina Trojani belli temporibus fuerit, diſpiciendum eſt. Interna raro, ſi vnquam, adhibita eſt: neque vllum in Homeri carmine exemplum morbi interni, ad quem interna adhibita fuerit medicina, occurrit: novit tamen ejus aetas medicamenta interna & in interno corpore mutationes inducentia (§. 22.), quae quoque ad morbos eſſe adhibita vero ſimile eſt. Omnis reliqua, quae in Homero occurrit, medicina, ad chirurgiam pertinet: internos morbos

bos enim Deorum, Apollinis, irae adſcribebant. Haecque medicina duplex erat; aut talis nempe, vt naturalium corporum ſupernaturali vi vulnera ſanari creditum ſit, ad quod genus Achillis haſta referenda eſt, quam, quos ſauciarat, ſanare putabant *g*), aut talis, vt impoſitis externis medicinis, internisve adhibitis, vulnerum dolori medela fieret, ſanguis reprimeretur, vulneraque ad conſolidationem perducerentur *h*). Quod etiam incantationibus efficere tentarunt. Non exiguae quoque laudi erat heroibus plura medicamenta ſcire *i*).

g) Homer. Iliad. π. v. 142. Plinius Libr. XXV. c. 5. hanc tamen ſanationem ita explicuit, vt aerugine ab aenea haſta abraſa vulnus ad ſanationem perduceretur.

h) Homer. Il. λ. v. 828. ſeq.

i) Il. λ. v. 739. 740.

§. 59. Memorandi tandem inter heroas Trojanos ob medicinam ſunt Peleus, ob haſtam vulnera ſanantem a Chirone Centauro acceptam *k*), Achilles, a Chirone medicinam edoctus *l*), Patroclus, maxime autem Machaon, Aeſculapii filius, qui Podalirium fratrem educaſſe fertur *m*). Perque hos Aeſculapii filios poſterosque cultus ipſius Aeſculapii in Graecia inſtitutus eſt.

k) Il. π. v. 143.

l) Il. λ. v. 831.

m) Quinctus Calaber in paralipom. Homeri L. VIII. v. 60.

MEDI-

MEDICINAE ANTIQUISSIMAE

PERIODUS II. CERTIOR.

CAPUT IV.

Medicina juncta cum Sapientiae ſtudio.

§. 60.

Sapientiae ſtudium prima medicinae certiori initia dedit: antiquiſſimi enim ſapientes quum in conſideratione τῦ ὅλε τῆς φύσεως eſſent occupati, neque partem contemplationum ſuarum explicationem eorum, quae in corporibus ſanis aegrisque accidunt, eſſe dubitarunt, neque ipſius medicinae exercitium a ſapientiae ſtudio alienum putarunt. Sapientium enim erat antiquiſſimis temporibus conſilio alios juvare, rem publicam adminiſtrare, Deorum voluntatem interpretari, futuros eventus praedicere & aegris medicinam, in primis externam, facere. Hinc non ea ſolum pars medicinae, quae in contemplationibus verſatur, ſapientiae pars erat, ſed ea quoque, quae aegris auxilia inſtruit. Et licet ante Hippocratis tempora jam medici extiterint, qui cum philoſophia parum commercii haberent, neque omnes Aſclepiadas ei ſtuduiſſe credibile ſit, primus tamen Hippocrates, monente Corn. Celſo *n*), auctor

ctor habendus eſt, qui medicinae diſciplinam a ſtudio ſapientiae ſeparavit.

n) de medicina Libr. I. praef. pag. 2. ed. Targae, Lugd. Bat. 1785. 4.

§. 61. At difficultas, qua premitur hoc tempus medicinae cum ſapientiae ſtudio junctae (§. 60.) vix vna eſt. Ne vnus quidem ſapientum, qui hoc tempore vixerunt, liber, ad nos integer pervenit, & quae ad nos pervenerunt, tam manca, incerta, et aliorum cogitatis permixta ſunt, vt neque quae vera ſint, eruere, neque quomodo natae ſint progreſſaeque doctrinae ad medicinam pertinentes fere intelligere queamus.

§. 62. Ad Jonicam, antiquiſſimam ſapientiae ſcholam in Graecia, quae ſpectant, fere omnia nos latent: eam tamen originibus rerum, rebusque, ad quarum ſcientiam non niſi longa obſervatione pervenitur, ſtuduiſſe certum eſt. Quae de corporum elementis ſenſit, ad medicinam quum pertineant, ſciendum eſt, Thaletem aquam omnium rerum principium eſſe putaſſe *o*), Anaximandrum vero corpora per calorem naſci, per frigus reſolvi. Aerem iidem ex hac ſchola ſapientes principiis addiderunt *p*).

o) v. Ariſtoteles metaph. I. c. 3. & alios, quos citat Bruckerus in inſtit. hiſtoriae philoſophiae period. I. part. poſt. L. II. cap. 1. §. 6.

p) v. Cl. Meiners Geſch. der Wiſſenſch. in Griechenland und Rom. Vol. I. Libr. II. pag. 151.

§. 63.

§. 63. Magis vero interest medico Pythagorae instituta nosse, qui non solum primus diaetetices auctor in Graecia extitit, sed artis quoque et θεωρίας, et exercitio maximam famam consequutus est, quam socii, ipsique adeo, post Pythagoreorum interitum, Crotonienses, quorum civis fuit, retinuerunt.

vide de Pythagora Bruckeri historiam criticam philosophiae, Vol. I. p. 11. Libr. II. c. 10. p. 994. seq. Cl. Tiedemann in libro: Griechenlands erste Philosophen Lipsi. 1780. 8. part. IV. p. 187. seq. Cl. Meiners Gesch. der Wissensch. Vol. I. L. II. pag. 178. seq.

§. 64. Natus videtur Pythagoras paulo ante Olympiadem L floruitque in Italia in primis ab Olympiade LX vsque ad LXII *q*). Ut exemplo homines emolliret et rem publicam constitueret meliorem, auctoritate opus fuit: hanc conciliari sibi putabat, Aegyptiorum sacerdotum, qui non in sacris rebus solum, verum etiam ad rem publicam pertinentibus plurimum valebant, instituta sequendo. Hinc castam sanctamque vitam degebat, hac et vaticiniis docens, arctiorem sibi cum ipsis Diis esse consuetudinem. Hinc cum medicina non parum contulisset ad auctoritatem sacerdotum Aegyptiorum augendam, eam quoque exercuit, docuit.

q) vid. Fabricii biblioth. Graec. ed. Harles. Vol. I. p. 753. seq.

§. 65. Erat autem princeps Pythagorae inſtitutum, vt omnia, quae ad animi cultum pertinent et ad virtutem ducunt, ſummo ſtudio coleret. Hinc ne corporis valetudo animi vim opprimeret, corporis robori conſervando, augendo, ſummam curam geſſit. Hinc munditiei in veſtimentis, corporis purgandi a ſordibus, ſummum ſtudium: motus corporis matutinus, muſica non raro adhibita, animi ad diurnos labores praeparandi cauſa: obambulatio in fanis Deorum, vt colloquio cum ſociis, doceret, quae ad vitam beatiorem reddendam pertinerent: corporis exercitatio poſt eam iterata: prandium parcum, vegetabile: deinde rei publicae, familiaris, cura: tandem, poſt corporis motum, coena, et quidem copioſior, nec tamen vltra ſatietatem. Victus vegetabilis, raro ex carnibus, vt adeo multi negaverint carnes a Pythagoreis vſitatas fuiſſe *r*), nec ab omni animali, nec a quaque ejus parte, neque alius, quam qui antea Deo oblatus fuiſſet. Fabae, ob incertas cauſas, plane prohibitae. Summa abſtinentia, ſumma animi temperantia, in omnibus affectibus, rebus etiam venereis. Quae omnia a ſociis quoque diligentiſſime obſervata ſunt.

r) Meiners Geſch. der Wiſſenſch. Vol. I. Libr. III. pag. 418.

§. 66. Medicinam et ſocios docuit, et ipſe exercuit, maxime tamen medicinam diaeteticam excoluit

coluit (§. 65). Corporis exercitia et athletarum exercitationes primum ad sanitatis normam reduxit. Pharmacis minus et vix alibi, quam in vulneribus et vlceribus sanandis vsus est, quibus & vinguenta, & cataplasmata adhibuit. Omnium minime ad secandum vrendumque veniebat, incantationibus quoque ad curandas corporis laesiones vsus *s*).

s) vid. Jamblich. de vita Pythagorae cap. XXXIX. pag. 139. ed. Küster. Meiners L. III. p. 554.

§. 67. Practica hinc ejus medicina vix alia fuit, quam reliquae antiquitatis: externis morbis medicinam fecit. Hos tamen etiam, vt internos, diaeta, incantationibus sacrisque ritibus peractis sanavit. Theoria ejus, propter tantam difficultatem, qua vniversa ejus doctrina premitur (§. 61), nos latet. Certum tamen est, doctrinam de dierum auspiciis & de imparium criticorumque dierum dignitate in morbis eo auctore in Graecia invaluisse *t*). Caeterum ejus doctrina, angusto Pythagoreorum sodalitio adstricta, vix late divulgata est.

t) Corn. Celsus Libr. III. cap. 4. p. 97. ed. Targae Lugd. Bat. 1785. 4.

§. 68. Hi vero, magistro suo duce, omnes medicinam didicere, fecere. Eminuit inter eos medicinae laude Alcmaeon, Pythagorae auditor, auditus per os ad aures transitus primus auctor *u*). Empedocles, Pythagoricus, primus inter anti-

quos philoſophos, cujus contemplationum particulae ad nos perveuerunt ad medicinam facientes, elementa quátuor ſtatuit, ignem, aquam, aerem, terram *x*). De auditu per aerem in auris ſpiracula irruentem ita loquutus eſt, vt perſpiciatur, eum cadavera infecuiſſe *y*). Etſi fortuito primum nata eſſe omnia credidit *z*), de animalium tamen generatione ita philoſophatus eſt, vt embryonem neque a patre, neque a matre, ſed ab vtraque parte, proficiſci putaret *a*), genitales tamen partes in embryone per vterorum calorem fieri *b*), concipere vero foeminam, ſi maſculum ſemen foemineo miſceretur, ita tamen, vt non ſolideſceret *c*). Curatione caeterum foeminae, quae in triceſimum diem ſine ſignis vitae jacuerat, plurimam gloriam meruit *d*), idque exemplum ad prima morborum internorum curatorum pertinet. Ejus de natura libri tres, nec non medicinalis liber (ἰατρικὸς λόγος) ad medicinam pertinuerunt.

u) Plinius Libr. XXIII. c. 2.

x) Galen. comm. in Hipp. de natura humana I. n. 1. p. 96. t. III. Chart.

y) Plutarch. de placit. philoſoph. IV, 16.

z) Ariſtot. phyſ. L. II. c. 4. Meiners Vol. I. L. V. pag. 656.

a) Ariſtot. de generat. animal. Libr. I. c. 17. t. II. p. 592. ed. du Val.

b) Ariſtot. de generat. animal. L. IV. c. 1. p. 669. t. II.

c) Ariſtot. de generat. anim. L. IV. c. 4.

d) Dio-

d) Diogenes Laert. L. VIII. Segm. 51. p. 526. ed. Meibomii. cf. de Empedocle Tiedemann Systeм des Empedokles in Göttingischem Magazin Vol. IV. n. 3. p. 38. seq. Meiners Gesch. d. W. Vol. I. L. V. p. 644. Fabric. bibl. Graec. ed. Harles. Vol. I. p. 806.

§. 69. Ipsi adeo Crotoniatae medicinae famam non minimam, ob Pythagoreorum societatem, quae apud eos floruit, consequuti sunt *e*) inter quos memorandus est Democedes, ob summam medicinae famam ab Aeginetis talento, deinde ab Athenienſibus centum minis (2155. imperialibus), tandem a Polycrate Samio duobus talentis per annum datis conductus. Captus in Persiamque deductus, Darii, qui pedem distorserat, et Atossae reginae, quae mammas exulceratas habebat, curatione celebris evasit *f*). Idque Democedis primum exemplum est medici horum temporum, qui neque philosophus fuerit, neque ex Aesculapii progenie oriundus. Primum quoque medici annuo stipendio conducti est. Probat denique medicos his temporibus chirurgiam in primis exercuisse.

e) Herodotus Libr. III. p. 213.

f) Herodotus Libr. III. p. 214. Schulz hist. med. period. I. S. II. c. 7. §. 46. 47. le Clerc Libr. II. c. 2. p. 79.

§. 70. Praeter Epicharmum Coum, Pythagoricae disciplinae assecla, qui librum de rebus naturalibus et medicis scripsit *g*), Anaxagoras

nominandus eſt, ex Jonum ſchola ſapiens, qui omnium rerum principium materiale vnum & multiplex ſtatuit, nempe ὁμοιομερίας, quae cum ſine motu & vita eſſent, ab aeterno intelligenteque principio animarentur *h*). Idem in generationis negotio mari omnia adſcripſit, feminam habitaculum tantum embryoni concedere putavit: primus quoque virtutem plaſticam maſculo ſemini ineſſe ſtatuit. Primus idem docuit dextram vterorum partem mares, ſiniſtram feminas continere, & in embryone cerebrum primum formari, ipſum vero foetum per vmbilicum ſua nutrimenta accipere *i*). Quae omnia ſine diligenti cadaverum inciſione docere non potuiſſet.

g) Diog. Laert. L. VIII. Segm. 78. p. 540. edit. Meibom. Schulz. hiſt. med. Period. I. S. II. c. 7. §. 42.

h) Ariſtot. metaphyſ. L. I. c. 4. Brucker period. I. part. poſter. L. II. c. 1. §. 13. Meiners Geſch. der Wiſſenſch. Vol. I. L. V. p. 668.

i) Meiners l. c. p. 668. 669.

§. 71. Democritus Abderita, poſt Pythagoram apud veteres laudatiſſimus vir, inprimis ob peregrinationes, experimenta inſtituta plurima & ſapientiae ſtudium ſumme ſeverum, cujusque hiſtoria incredibilium multitudine infinita permixta eſt *k*), philoſophiam ſuam ex Jonica, Pythagorea & Eleatica conſarcinaſſe videtur. Experimenta ad naturam rerum, praeſertim animalium, indagandam inſtituit plurima, quae quatenus ad medi-

cinam

cinam pertinuerint, incertum est: omnia enim de hoc, quem magni nominis virum Corn. Celsus *l*) dixit, incerta sunt.

k) vid. de Democrito Meiners Gesch. der Wissensch. I. Bd. p. 690. Fabricii bibl. Graec. ed. Harles. Vol. II. L. II. c. 24. §. 5. p. 628.

l) Celsus L. I. praef. pag. 2.

§. 72. Heraclitus Ephesius, morositate sua ab omni antiquitate notatus, in vita sua Pythagoricos aemulatus, solitudinem quaerens et solis herbis ad victum vsus, quo vitae genere aquae intercutis morbum lethalem tandem contraxit, non quidem medicinae laude maxima floruisse videtur, statuit vero igneum principium, ex quo reliqua fierent omnia *m*), eamque opinionem doctrinae Hippocrateae de calido innato origines dedisse quidam autumarunt *n*).

m) v. Brucker Period. I. part. poster. L. II. c. 12. §. 3. et quos ibidem citat auctores.

n) Schulz hist. med. Period. I. S. II. c. 7. §. 58.

§. 73. Ut alios philosophos taceam, Socratem quoque, quem summam valetudinis curam ipsum habuisse, et, vt eandem haberent, auditores monuisse, notum est, generatim de philosophis ante Hippocratem eorumque rerum medicarum scientia haec tenenda sunt:

1) medicinam vtique partem studii sapientiae esse habitam, & quidem tam theoreticam, quam practicam ipsam;

2) ſi quoque probari nequit, ob imperfectam eorum hiſtoriam, omnes Sapientiae profeſſores medicinam exercuiſſe; morbis tamen medicinam plures feciſſe, avertendis vero morbis & corporis integritati conſervandae omnes ſummam dediſſe operam: eorum vero medicinae exercitium maxime in chirurgiae auxilio conſtitiſſe, internos morbos raro medicamentis, magis diaeta, incantationibus, expiationibus ſanaviſſe certum eſt.

3) Magis inſignem eorum operam in theoriis fuiſſe rerum, quae tam in ſano, quam in aegro corpore, maxime tamen in illo, accidunt. Et ad has quidem pervenerunt partim ratiocinia ſua de elementis, de vniverſi natura, ad res, quae ad animale corpus ſpectant, applicando, partim etiam per experimenta, cadaverum incisiones, eruendo, quid faciat natura. Quod niſi fuiſſet factum, neque auditus per os ad aurem tranſitus ab Alcmaeone (§. 68.), neque vera auditus theoria ab Empedocle (§. 68.) doceri potuiſſet.

4) Etſi philoſophorum antiquiſſimorum theoriae medicae hoc tantum modo per fragmenta ad nos pervenerunt, vt perſpiciatur quidem, eos hanc vel illam opinionem ſtatuiſſe, non vero quo modo ad illam pervenerint intelligatur, colligitur tamen ex his ipſis fragmentis, rerum quae in ſano corpore accidunt, theoriam jam tem-

temporibus ante Hippocratem optime efformatam extitisse, et quidem a philosophis, quum Asclepiadae, omnibus, quae in medicina ad contemplationem spectant, vix magnam, maximam vero curationibus operam dedisse videantur.

5) Idque etiam probat theoria sani corporis medica, quae Hippocratis temporibus jam plane formata & ad certitudinem quandam redacta extabat, neque fere talis evadere potuit, nisi per philosophos.

6) Etsi vero sani corporis theoria antiquissima sit, (n. 4. 5.) morborum tamen per hanc qualemcunque explicatio longe recentior est, neque prius, quam post Hippocratis tempora, quibus tamen tentari videtur esse coepta, extitit. Ut itaque chirurgiam primum esse natam (§. 11.), deinde per incantationes morborum curationem (§. 10.), postea eorum, quae sano corpori eveniunt, theoriam (§. 73. n. 3. 4. 5.) tandem morborum theoreticam, eamque generaliorem explicationem, merito putandum sit.

CAPUT V.

Scholae Asclepiadarum ante Hippocratem.

§. 74. Praeter theoreticam practicamque medicinam, quam philosophi coluerunt (§. 60-73.), medicinam quoque, sed aliam, minime quippe de iis solliciti, quorum explicationem summo stu-

dio tentaverant ſapientiae profeſſores, colebant Aſclepiadae. Quorum princeps finis quum eſſet τὰς ἱκετὰς ad Aeſculapii templum confugientes a morbis liberare (§. 52. 53.) & cum ipſi ſupplices, vix diu in Aeſculapii templis decumbentes, non protractiorem curationem, ſed conſilia ad morbos ſuos peterent; facile liquet, ipſum, quo medicinam Aſclepiadae faciebant, modum, vix multum ad medicinae incrementa conferre potuiſſe.

§. 75. Hinc vnico Euryphonte Cnidio & Hippocrate Coo exceptis, in tanta annorum ſerie vix vnus ex Aſclepiadarum familia reſtat, qui medicinali ſua ſcientia gloriam quandam meruerit: hinc ne vnum quidem inventum in medicina Aſclepiadis ab antiquis tributum eſt: hinc, Galeno jam monente *o*), diaeteticam parum excoluerunt, conſilia quippe tantum ad morbos dantes, nec vniverſam curationem inſtruentes, aegris vero eodem modo imperabant, quo dux militibus ſolet *p*), ad quod imperium opinio iſta: curationes Aſclepiadarum per ipſum Aeſculapium praecipi, plurimum contulit.

o) Gal. in arte tuend. ſanit. ad Thraſybul. c. 33.

p) Gal. de method. medend. L. I. c. 1. p. 2. tom. X. ed. Chart.

§. 76. Erat vero, & quidem in fanis Aeſculapii, penes Aſclepiadas omnis medicina, in qua, quod Galenus expreſſe memorat *q*), antiquiſſimo tempore οἱ ἔγγονοι, qui ſcilicet genus ab ipſo Aeſcu-

Aeſculapio deducerent, inſtitui ſolebant. Doctrina morborum ſanandorum a majoribus natu ad minores tranſiit, et quidem et inſtitutione, et exemplo majorum natu (§. 55.) *r*).

q) Gal. de adminiſtrat. anat. L. II. c. 1. p. 46. tom. IV. ed. Charter.

r) vide locum Galeni, quem mox citavi, quique de inſtitutione Aſclepiadarum claſſicus eſt.

§. 77. Sed cum Aeſculapii cultu multiplicato ipſi hi Aſclepiadae (§. 76.) non ſuppeterent, οἱ ἔξω τῆς γένεος quoque in Aſclepiadarum collegium recepti ſunt, eadem Aſclepiadarum inſtitutione vſi. Et hi quidem et juvenes erant, & provectiores aetate *s*). Multiplicatis hoc modo Aſclepiadis, empirica quidem medicina multiplicata eſt, ſcientiae vero incrementa, Galeno jam notante, non aucta.

s) Gal. de adminiſtr. anat. Libr. II. loc. cit.

§. 78. Quando οἱ ἔξω τῆς γένεος in Aſclepiadarum ſocietatem recipi coeperint, incertum, Hippocratis tamen temporibus receptos eſſe certum eſt. Ejus enim temporibus filii Aſclepiadarum inſtituebantur in medicina ſine mercede & ſyngraphe. Non ex Aſclepiadarum familia vero erant μαθηταὶ συγγεγραμμένοι, conſcripti diſcipuli *t*) & ἔξω τῆς γένεος, qui in legem medicam jurare debebant *u*) & ſyngraphe ſua teſtari, ſe hanc legem ſervaturos, & mercedem docenti dare. Caeterum nulli alii ad medicam inſtitutionem aditus apud Aſclepiadas patuit *x*).

t) Sic

t) Sic locus classicus explicandus est, in jurejurando Hippocratis tom. I. pag. 43. Linden. quique vexavit admodum Meibomium comm. in jusjurand. Hipp. cap. 12. §. 5. seq.

u) Καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ. Hippocrates ibid. cf. Meibom. §. 7. qui tamen hunc locum minus recte interpretatus est.

x) ἄλλῳ δὲ δόσει. Hipp. ibid. Meibom. §. 10.

§. 79. Scholae Asclepiadarum in omnibus Aesculapii templis fuisse videntur, sed memoria omnium interiit, excepta Rhodia *y*), quae tamen mature desiit, Cnidia atque Coa. Italicam Galenus addit, quae num Asclepiadarum, an potius Pythagoricorum Crotonienſis (§. 69.) fuerit, dubito. Cyrenaicam Asclepiadarum in Libya scholam Herodotus memorat, plurima laude florentem *z*).

y) Galen. de method. medendi L. I. cap. 1. tom. X. pag 2. ed. Chart.

z) Herodot. L. III. p. 213.

§. 80. Cnidia atque Coa celebratissimae fuere. Utraque quando orta sit ignotum est: Cnidia tamen, quoniam magis empirica fuit, antiquior putanda est. Utraque fama floruit, haec summa, ob Hippocratem medicinamque rationalem ex ea ortam: illa quidem viros Hippocrati pares non emisit, attamen Chrysippum, medicum magni nominis, majorisque propterea, quod Erasistrati praeceptor extitit. Utraque de inventorum multitudine, gloria, deque ipsa doctrina contendebat.

§. 81.

§. 81. Cnidia enim ſchola empiricam medicinam, eamque rudiorem, docebat, exercebat, vt per eam quoque empiricorum ſectae initia nata eſſe videantur. Docebat quae aegri in ſingulis morbis patiuntur, omiſſis iis, quae medicum ſcire oportet, aegro non referente. Morborum ſpecies ſumme multiplicavit *a*). Paucis vſa eſt in morbis diuturnis medicamentis, & quidem alvum ducentibus vehementer, fero & lacte, pro tempore *b*). Ex quo intelligitur quam parva initia internorum morborum curatio habuerit. Vſa eſt eodem modo, quo poſtea empirici, tranſitu ad ſimile *c*). Doctrinarum ſcholae Cnidiae ſumma in libro: γνώμαι Κνιδίαι, comprehenſa erat: ipſius vero libri duplex extabat editio. Altera, antiquior, plures auctores habuit *d*), recentior vero, ex qua Galenus excerpta quaedam dedit *e*), ab Euryphonte profecta eſt, anatomico, chirurgo, practico. Eaque etiam doctrinas continet, quibus poſtea empiricorum ſchola eminuit.

a) Galen. in comm. I. in Hipp. de diaet. acut. n. 7. pag. 5. tom. XI. ed. Chart.

b) Hippocrates de diaet. acutor. §. 1. t II. p. 268. 269. Lind. cf. meam tractationem: Geſch der Empiriker nach den Zeiten des Galenus, in Wittweri Archiv für die Geſchichte der Heilkunde Bd. I. St. I. pag. 7. ſeq.

c) Galen. de optima ſecta ad Thraſybul. c. 10. p. 306. tom. II. edit. Charter.

d) Quod patet ex principio libri Hippocratis de diaeta acutor. οἱ ξυγγράψαντες τὰς κνιδίας καλεομένας γνώ-

γνώμας. cf. Gal. comm. I. in Hipp. de diaet. acut. n. 4. p. 3. tom. XI. Chart.

e) Galen. in comm. I. in VI. Epid. Hipp. n. 29. t. IX. p. 384. cf. quoque de Euryphonte Gal. comm. II. in Hipp. de natura humana. tom. III. pag. 128. ſeq. Chart. Ej. comm. in aphoriſm. VII. 44. tom. IX. pag. 316.

§. 82. Coa vero ſchola, rudiore hac empiriâ neglecta, eis quoque in morbis operam dedit, quae medicum ſcire oportet, aegro non referente, cauſis nempe morborum manifeſtis et praeſagiendi futura ex praeſenti aegrotantium ſtatu ſcientiae. Diaetae et exactiori morborum, praeſertim chronicorum curationi majorem operam dedit. In acutis morbis curandis, diaeta excepta, quam ſeveriorem Coa praecipiebat, vtraque vnam viam ingreſſa eſt *f*).

f) Hippocrates de diaet. acutor. §. 1. p. 269.

Caput VI.

De medicina gymnaſtica Graecorum.

§. 83. Etſi ad antiquitatem Graeciae potius, quam ad meum finem pertinere videtur gymnaſticum Graecorum inſtitutum, tamen, quum ad diaetam non parum apud Graecos fecerit, & corporis exercitia ad mentis corporisque ſanitatem a ſapientiae profeſſoribus maxime ſint laudata eademque etiam ad morbos ſanandos commendata, quumque noſtris temporibus de gymnaſtica re ex antiqua

antiqua Graecia revocanda permulta ſcripta fuerint, haec gymnaſiorum inſtituta breviſſimis perſequar.

cf. Hieronym. Mercurialis de arte gymnaſtica Libri VI. ed. noviſſ. Chriſtoph. Coriolani. Amſt. 1672. 4.
Petr. Fabri agoniſticon, ſive de re athletica ludisque veterum gymnicis, muſicis tractatus. Lugd. 1592. 4.
Jo. Jac. Rambach von der Athletik der Griechen, in Potteri Archaeolog. Graeca germanice verſa part. III. p. 555. ſeq.

§. 84. Quo magis robuſtus eſt homo, minus cultus, quo velocior eſt pedibus, quoque majore vi adverſario obſtare valet, eo praeſtantior ipſe putatur. Hinc exercitationum neceſſitas nata: hinc curſus exercitium, ob venationem, locorum diſtantiam, in quibus homines degebant: luctae, ob modum, quo ipſa praelia committi ſolebant.

§. 85. Eaque exercitia (§. 84.) antiquiſſima & omnium prima ad augendum corporis robur contulerunt, quod ſummum fuiſſe temporibus antiquiſſimis armorum grave pondus, haſtarum, ſcutorum magnitudo, caet. docent.

§. 86. Eadem exercitia multum contulerunt ad ipſam hominum ſocietatem dilatandam, ad ipſos Graecos cultiores reddendos. Qui inſigni pollebant robore, peregrinationibus in alias terras inſtitutis heroas ad certamen provocabant.

Hi ſcientiam, artes, mores gentis ſuae ad alios detulere.

§. 87. Quumque, machinis bellicis nondum inventis, victoriae ſpes eſſet eo certior, quo majore robore milites valerent, & quo eſſent exercitatiores, juſſu eorum, qui reipublicae curam gerebant, exerceri juvenes curſu, lucta, pugillatu, oportebat.

§. 88. Inventis vero per Periclem machinis bellicis bellorumque artificio tali facto, vt minus militum robore, magis arte atque conſilio ducum gererentur, non tam hanc ob cauſam, quam ob corporis valetudinem & ob ludos ſolemnes in Graecia gymnaſia frequentari coepere. Ut ſana eſſet mens, nec ſeveriora ſtudia per corporis valetudinem interciperentur, bonae valetudinis conſervandae, augendae, ſapientiae profeſſorum antiquiſſimorum cura ſumma erat. Neque alio modo ſanitatem conſervari poſſe putabant, quam vitae ratione ſobria & exercitatione corporis crebra quidem, at certis tamen legibus adſtricta.

§. 89. Hanc gymnaſticae partem, quae ſanitati proſpicit, Pythagoras fecit maximi (§. 65.): diu itaque ante Herodicum Selymbrienſem inventa atque exculta eſt. Herodicus vero, Hippocrate & Platone non longe ſuperior, poſtquam proprium experimentum feliciter ceſſerat, eandem ad morbos curandos primum adhibuiſſe dicitur

citur g), et ſi credibile omnino eſt, antiquiores ſapientiae profeſſores eadem, qua ad conſervandam ſanitatem vtebantur, ad eam reſtituendam quoque eſſe vſos.

g) Plato politicor. Libr. III. pag. 301. ed. Bipont. Vol. VI. Miſcuiſſe Herodinum primum mortalium gymnaſticen medicinae Plutarchus refert, de ſera numinis vindicta p. 359.

§. 90. Ludi erant in Graecia celeberrimi Olympii, Pythii, Nemei, Iſthmici, ad quos omnis Graecia confluebat. Nulla in certaminibus victoriae ſpes, niſi ei, qui et ſummo polleret robore, & exercitationes ipſas didiciſſet: victori honor tantus, quantus fere nemini. Hinc qui in his ludis certare volebant, ſtudere corporis robori, exercitationibus debebant. Inde athletae nati ſunt, quorum roboris exempla vix credenda antiquitas profert, victu & reliqua diaeta vtentes plane ſingulari, perfecteque tali, qua & caveretur, ne nimium humorum, virium, corpus amitteret, & amiſſum, etiam coacta voracitate, ἀναγκοφαγίαν vocabant, reſtitueretur. *h*).

h) vid. Jo. Heinr. Schulzii diſſ. inaug. de Athletis veterum, eorum diaeta & habitu. Hal. 1717. 4.

§. 91. In exercitiis vero, quae in gymnaſiis tractari ſolebant, eminent curſus, diſcus *i*), ſaltus, aut vacuis manibus, aut iis, humerisve pondere plumbeo onuſtis *k*), pugillatus, partim pugno, partim caeſtibus adhibitis *l*), lucta *m*), ath-

letarum proprium exercitium (§. 90), ejusque ſpecies, ex pugillatu & lucta compoſita, παγκράτεον *n*).

i) Hier. Mercurial. de art. gymnaſt. ed. cit. Libr. II. c. 12. p. 165. ſeq.

k) Hier. Mercurial. L. II. c. 11. p. 160.

l) Hier. Mercurial. L. II. c. 9. p. 154. ſeq.

m) Hier. Mercurial. L. II. c. 8. p. 142.

n) Hier. Mercurial. ibid. p. 147.

Caput VII.

Medicina qualis ante Hippocratem fuerit.

§. 92. Nunc qualis fuerit medicina prius quam Hippocrates illam docendo ſcribendoque illuſtraret, diſpiciendum eſt. Medicorum genus triplex erat. Philoſophi in ea inquirebant, quae in ſano corpore fiunt (§. 60), non raro quoque morbis medebantur. Medici quoque extabant, non ad Aſclepiadarum familiam, neque ad philoſophorum gregem, referendi, qui morbos curarent, externos maxime, internos vero empiricorum in primis more *o*). Aſclepiadae denique in templis Aeſculapii medicinam faciebant, eamque vix aliam, quam empiricam: quae enim Galenus de anatomes eorum ſtudio profert *p*), incerta omnia ſunt. Neque putandum, eos theoriis inhaeſiſſe, quae a curationibus, quae per miracula & paratu facilia medicamenta fiunt, abeſſe conſuerunt.

o) Hero-

o) Herodot. L. III. p. 212.

p) Galen. de adminiſtrat. anat. L. II. cap. 1. tom. 4. p. 46. ed. Chart.

§. 93. Attamen anatomes ſtudium Hippocratis temporibus eo progreſſum fuerat, vt etiam ſubtilioris anatomes pericula jam fuiſſe facta vel ex ipſis Hippocratis libris chirurgicis conſtet. Quae quum per Aſclepiadas vix facta eſſe potuerint, empiricam quippe medicinam tractantes, per philoſophos & medicos facta ſint neceſſe eſt. Et licet plane neſciamus quo vſque progreſſa fuerit anatome ante Hippocratem, quaeque ipſe majorum inventis addiderit, ex magna tamen ejus, qua pollebat, ſcientia, concludere licet, Hippocratem eam jam magnopere excultam reperiſſe.

vid. Jo. Henr. Schulzii hiſtoriae anat. ſpecimen I. §. 1—21. & ſpecim. II. §. 1. 2.

§. 94. Doctrina eorum, quae in ſtatu ſano eveniunt, per philoſophos in primis culta, tanta incrementa ceperat, vt, quod ex libro de natura humana Hippocrati adſcripto perſpicitur, vix pars illius extiterit, quam intactam reliquiſſent. Medici vero ante Hippocratem magnam eidem operam dediſſe non videntur, quae ab ipſo adeo Hippocrate, ſaltim in morborum originibus per eam explicandis, neglecta eſt, & a medicis demum mox poſt Hippocratem viventibus agitari coepit. Omnis pathologia medicorum ante Hip-

pocratem haec erat, vt manifeſta in morbis, in ſenſus cadentia, obſervarent, quod ſchola Cnidia in primis fecit, vtque tam ex morborum natura, quam eorum, quae morbos induxerant, obſervatione ipſa eorum manifeſtas cauſas eruerent, nec non vt ex praeſenti aegrotantium ſtatu futurum decurſum morbi praeſagirent. Quod Coae ſcholae proprium fuit. Utriusque ſcholae curatio empirica erat, magis tamen Cnidiae: Coa enim abditas cauſas quidem ignorabat, manifeſtis vero tollendis in acuto & diuturno morborum genere operam dabat. Et ſi quoque philoſophos ante Hippocratem origines morborum ex inaequali elementorum temperie, mixtione, caet. explicuiſſe omnino credibile eſt, tamen neque medici ante Hippocratem morbos ex eadem inaequalitate, quatuorve iſtis humoribus explicuerunt, neque medelam morborum talibus contemplationibus accommodarunt. Haec omnia ſtatim poſt Hippocratem, aut paulo poſt eum primum tentata ſunt.

§. 95. Empirica itaque vtriusque ſcholae medendi methodus fuit, in Coa tamen aliquantulum ad rationalem accedens. Medicamentorum copia exigua: acutorum morborum curatio per diaetam potiſſimum, diuturnorum, ſaltim apud Cnidios, per purgantia (§. 81. 82).

§. 96. Licet quidem quos progreſſus fecerit chirurgia ad Hippocratis vſque tempora neſciamus,

mus, tamen crebra bella, quae Graeci gerebant, quibusque medici intererant, laesiones externas & vulnera curantes, ipsaque in gymnasiis exercitia, quibus ossa subinde frangebantur, loco suo movebantur, cact. eam magis ipsa medicina fuisse cultam suadent Et ex ipsis Hippocratis libris ad chirurgiam spectantibus, nisi, quod minus credendum est, maximam eorum partem, quae in his libris proponuntur, ab ipso Hippocrate inventa putemus, liquet, quod etiam ex summo studio apparet, quo chirurgia ab antiquissimis temporibus culta est, eam jam hoc tempore ad maximc cultas medicinae partes pertinuisse.

MEDICINAE ANTIQUAE

PERIODUS I.

Caput VIII.

Hippocrates Cous.

§. 97.

Novam formam medicinae dedit Hippocrates Cous, primus isque nobiliſſimus auctor, cujus opera ad nos pervenerunt. Socrate paulo inferior aetate & Platone ſuperior, belli Peloponneſiaci tempore, Philippo Macedonibus imperante, vixit. Olympiad. LXXX, 1. natum eſſe Soranus refert. Medicinam ab Aſclepiadis, ex quorum familia ipſe erat, & a patre, in Coa ſchola, didicit. Philoſophiam didiciſſe fertur Herone, Gorgia & Democrito praeceptoribus. Naturalem non neglexiſſe Plato refert. Patria relicta Thaſum petiit, ibique morborum obſervationi & curationi operam dedit. In vicinis Thaſo oppidis, Abderis, Lariſſae, Meliboeae, Cycici, artem exercuit. Abderis cum Democrito, ſi vera in Hippocratis epiſtolis referuntur, amicitiam contraxit. Itineribus quoque compluribus inſtitutis in Scytharum terram & Aſiae minoris ſeptentrionales provincias pervenit. Athenis quoque fuit, peſtem tamen in hac vrbe obſervaſſe non videtur. Tandem patriam inſulam repetiit, alios medi-

medicinam docuit & libros ſuos, praeſertim ſemioticos, ſcripſit, Coae quoque ſcholae obſervationibus adjutus: ad tales enim ſemioticos libros, quales hic ſcripſit, vnius hominis, vtut copioſiſſima & diligentiſſima ſit obſervatio, aetas non ſufficit. Coa ſchola eo in primis praeeunte floruit. LXXXV. annorum ſenex obiiſſe fertur, & intra Lariſſam & Gyrtonem ſepultus.

§. 98. Fama, dum viveret, prius ſaltim, quam in patriam reverteretur inſulam, magna floruiſſe non videtur, minus quoque in medicina exercenda felix. Hinc quae de Perſarum rege auxilium ejus flagitante, de Helleſponti praefecto, de decreto Athenienſium in ejus honorem, caet. proferuntur, pro veris habenda non ſunt. Majorem famam inſtitutione diſcipulorum librisque ſuis adſequutus eſt, vt quoque Plato atque Ariſtoteles eum non ſine laude memorent.

vid. Hippocratis genus & vita ſecundum Soranum in Oper. Hipp. ed. Linden. t. II. pag. 951. ſeq.

Jo. Tzetzes hiſtor. VII. chiliad. CLV. 945. etiam in Hipp. oper. tom. II. p. 958.

Suidas in lexic. ſ. v. Ἱπποκράτης.

Stephanus de vrbibus ſ. v. Κῶς.

Grimm in operib. Hippocr. in Germanic. linguam translatis Vol. I. Altenburg. 1778.

Vitam Hippocratis ego quoque dedi in Fabricii biblioth. Graeca ed. Harleſ. Libr. II. c. 23. Vol. II. p. 506.

§. 99. Cum libri longe plurimi Hippocratei ad ipſum auctorem non pertineant, & tamen, quae

docuerit, ex vere ab eo ſcriptis libris exponi debeant, ſciendum eſt, libros, qui nobis ſuperſunt, genuinos dialecto Jonica, intermixta tamen Attica veteri, ſcriptos eſſe, obſervationis plurimum, ratiocinii parum continere, & omnia quidem ſumma brevitate eſſe expreſſa.

§. 100. Ex ſpuriis libris alii ſcripti ſunt non longo poſt Hippocratem tempore, Ariſtoteli aliisque antiquioribus quippe jam noti. Alios addidiſſe videntur, qui regum Ptolemaicorum & Attalicorum temporibus libros compoſuerunt. Alii recentiores ſunt, vt adeo quidam a ſaeculo V. ad XII. ſcripti Hippocratis nomen gerant.

§. 101. Quod (§. 99. 100.) probarunt inter antiquos Erotianus, Galenus, Palladius, inter recentiores Hier. Mercurialis, Lemoſius, Hallerus, Grunerus *q*).

q) vid. quae hac de re diſſerui in Fabricii biblioth. Graec. ed. Harleſ. Libr. II. cap. 23. §. 5. ſeq. Vol. II. pag. 514.

§. 102. Teſtimonia omnia, tam antiquorum, quam recentiorum probant genuinos eſſe hos libros, in quos etiam omnes notae, quas propoſui (§. 99), cadunt: aphoriſmi: liber de aere aquis & locis: prognoſticon: praedictionum liber ſecundus: popularium morborum liber primus & tertius: liber de diaeta acutorum: liber de capitis vulneribus: liber de fracturis: liber de officina medici: jusjurandum.

§. 103.

§. 103. Ex his, qui pro ſpuriis habentur, notatu digniſſimi ſunt, praeter introductorios omnesque ad chirurgiam facientes, libri de natura humana: de humoribus: de natura pueri: de criſibus: Coacae praenotiones: praedictionum liber primus: libri de morbis quatuor: de morbo ſacro liber.

§. 104. Prius vero, quam ad ipſam Hippocratis doctrinam enarrandam accedam, notandum eſt, eum, ex Corn. Celſi *r*) judicio, medicinam a ſapientiae ſtudio ſeparaſſe, & clinicen medicinam, Plinio *s*) notante, inſtituiſſe. Primum ita intelligendum eſt, vt Corn. Celſus praeter Aſclepiadas philoſophosque ante Hippocratem homines extitiſſe non putaverit, qui medicinam ſingularis ſcientiae forma coluerint: alterum vero, vt, cum Aſclepiadae in templis Aeſculapii tantum morbis mederentur, philoſophi vero magis theoreticae ſcientiae parti, quam ejus exercitio inhaererent, Hippocrates praxin ad aegrotantium lectos (ambulatoriam vocant) primum exercuerit.

r) Celſ. in praef. ad Libr. I. pag. 2, 3.

s) Plinius Libr. XXIX. cap. 1.

§. 105. Medicina Hippocratis ex ſolis ejus genuinis libris (§. 102.) repetenda eſt: hauſta enim ex qualicunque libro, qui in Hippocratis operibus continetur, neque certa, neque adeo ſine contradictione eſſe poterit. Quod ſi probe obſer-

vamus, Hippocratis doctrina ad ſequentia capita commode reducitur:

1) Eſſe in corpore humano & reliquo animali movens quoddam principium, a quo vita, ſanitas, morbi quoque penderent, ſtatuit quidem, ſed theoriam, ſeu explicationem eorum, quae in ſtatu ſano aegroque humani corporis eveniunt, nullam dedit.

2) Si vero, quod dubium adhuc eſt *t*), auctor extitit libri de humoribus & de natura humana, in doctrina de vniverſi natura, de elementis, deque his, quae in ſano corpore fiunt, ad Empedoclis doctrinam acceſſit.

3) Neque tamen his (n. 2.) in morbis quidquam tribuit, vt potius quae in aegris praeſentia ſunt, nec non ea, quae in morbis antea adfuerunt, ſtudio plane ſingulari notaverit & ad praxeos uſum ādhibuerit.

4) Non tamen ſolum ea reſpexit, quae aegris accidebant, ſed ea quoque, quae morbum aut produxerint, aut ad eum mutandum, exaſperandum, qualicunque modo contulerint.

5) Cauſas in morborum originibus abditas nullas agnovit, ſed manifeſtas tantummodo, & has quidem aut generales & pluribus communes *u*), quarum ſcientiam primus omnium ab omni vana opinione alienam habuiſſe videtur, aut ſingulis hominibus proprias.

6) Pri-

6) Primus firme certeque ex iis, quae praeceſſerant in aegris, & quae praeſentia erant in iisdem futuros eventus, non quoad ſalutem ſolum mortemque, ſed quoad reliquas etiam mutationes in aegris futuras praeſagivit.

7) Doctrinae de coctione, de criſi morborum primus omnium auctor extitit. De diebus criticis doctrinam niſi invenit, ſaltim primus obſervatione morborum didicit, eos hoc modo in morbis acutis locum habere, quo propoſuit.

8) Princeps pars medicinae, quam docuit, & in qua optime promeritus eſt, in morborum cognitione verſabatur: primus erat Hippocrates, qui doceret, hunc demum morbos rite curaturum, quem eorum cognitio non fefellerit.

9) Morbis acutis majus ſtudium impendit, diuturnis longe minus, ſive quoniam in itineribus ſuis, quibus maximam, quos deſcripſit, morborum partem obſervavit, morbos maxime viderit & curandos habuerit acutorum more per populum graſſantes, ſive quod diuturnos morbos acutis longe minus frequentes fuiſſe ejus temporibus vero ſimile ſit.

10) In curandis morbis, acutis praeſertim, principium ipſi erat, cui omnis medela innitebatur: νέσων φύσιες ἰητροὶ. Generatim plurimum naturae, parum arti, in ſanandis morbis tribuit.

11) Medicina morborum acutorum hinc in diaeta potiſſimum erat. Hanc exactiſſimam ordinavit, talem-

talemque, vt probatiore vel hodie deſtituamur. Medicamentis parum vſus eſt, & quidem blandis, lenta vi pollentibus vegetabilibus *x)*: non quoniam metuebat majorem eorum copiam aut vim, verum quoniam medicinalis materia Graecorum demum poſt Alexandri Magni expeditiones copioſior evaſit.

12) In ipſo vſu medicamentorum hunc finem habuit, vt ne moveret, niſi quae turgerent, vt vero, quae turgerent, ad locum, quo vergerent, duceret: vt itaque naturae in morbis non imperaret, ſed eam potius in ſalutaribus, quae moliretur, adjuvaret, in inimicis vitae temperaret.

13) In diuturnis morbis efficaciore medicina vſus eſt aliasque ad eorum curationem vias, quam Cnidia ſchola *y)*, ingreſſus eſt: licet non appareat quas ingreſſus ſit, cum de diuturnis vix multa ſcripſerit. Valentius tamen moventia medicamenta adhibuiſſe credibile eſt.

14) Quo vero magis laboraverit inopia internorum morborum medicina ejus, eo copioſior externorum fuit. Anatomen calluit, ſed magis externarum laeſionum, quam internorum morborum cauſa. In externis laeſionibus capitis neque diligentiſſimam ipſarum laeſionum deſcriptionem, neque providam iis medendi methodum, nec praeſagia, a multiplici obſervatione profecta, nec rara adeo laeſionum exem-

exempla deſideraveris. In auxilio vero laeſis ferendo miraberis curam optimi viri, minimorum quoque: in deligationibus ſolertiam, in inſtrumentis applicandis artificium, in deſcribendis ſtudium.

15) Quae omnia (1—14) effecere, vt Hippocrates vnanimi fere conſenſu talis ſit habitus, quem nemo mortalium ſit adſequutus, quemque ſequi idem eſſet, ac ipſam naturam ſequi. Quod vtique verum eſt, in primis in morborum acutorum obſervatione.

conf. de doctrina Hippocratis Dan. Clerici hiſtoriam medicinae librum III. a pag. 112. vſque ad pag. 253. Jo. Henr. Schulzii hiſtor. med. period. I. Sect. III. cap. 1—4. pag. 206. p. 299. Practicam medicinam Hippocratis in epitomen redegit Hallerus in biblioth. med. pract. Vol. I. p. 100. Sed hi omnes ſpurios libros a genuinis non ſtudioſe ſatis ſepararunt.

t) vid. quae de his libris notavimus in Fabricii biblioth. Graec. ed. citat. Libr. II. cap. 23. §. 25. n. 4. & n. 34.

u) vid. librum de aere, aquis, locis per totum.

x) vid. librum de diaeta in acutis.

y) Hipp. de diaet. acutor. §. 1. pag. 268. 269. tom. II.

MEDI-

MEDICINAE ANTIQUAE PERIODUS II.

Schola medicorum Hippocrateorum et medicina dogmaticorum medicorum vſque ad ſectae empiricorum primas origines.

CAPUT IX.

Schola medicorum Hippocrateorum.

§. 106.

Duos filios Hippocrates habuit, Theſſalum atque Draconem. De Dracone nihil memoriae proditum legimus. Nihil vero Hippocratis dogmata mutaſſe aut ſuſtuliſſe Theſſalum, virum admiratione dignum, Galenus *z*) refert. Uterque filium genuit, Hippocratis nomine inſignitum *a*). Polybus, gener Hippocratis ejusque in ſchola ſucceſſor, maxima fama eminuit, quem ſcilicet & Galenus ſumme laudat *b*), & auctorem fuiſſe complurium librorum, qui in Hippocratis operibus continentur, aut eos ſaltim ab Hippocrate non ad editionem praeparatos edidiſſe perhibet *c*).

z) Comm. II. in libr. Hipp. de natura humana, text. 1. p. 129. tom. III. ed. Charter.

a) Hippocrati, Hippocratis Coi nepoti, librum V. epidem. veteres tribuebant. vid. Fabr. bibl. Gr. ed. cit. L. II. c. 23. §. 25. n. 1.

b) Comm. I. in libr. de natura humana pag. 94. ſeq. tom. III.

c) Theſ-

c) Theſſalo, Hippocratis filio, veteres adſcripſerunt libros de morbis popularibus ſpurios omnes & vltimam partem libri de natura humana: Polybo vero librum de affectionibus, de morbis libros quatuor, de diaeta ſalubri, de genitura, de natura pueri libros. vid. Fabric. bibl. Graec. L. II. c. 23. § 25.

§. 107. Ab iisque viris (§. 106.) doctrinarum theoreticarum pars longe maxima, quam Hippocratis ſchola paulo poſt ipſius Hippocratis exceſſum docuit, profecta eſt. Quam doctrinam theoreticam ſani aegrique corporis, quod in libris continetur, qui operum Hippocratis titulo collecti ſunt, Hippocratis ipſius fuiſſe fere omnes ſtatuerunt, cum tamen his, qui ejus locum tenuere, & Platoni, philoſophorum principi, adſcribenda ſit. Eam, medicinae dogmaticorum (quod tamen nomen non invaluit, niſi poſt ortam empiricorum ſectam) prima principia continentem, nunc enarrabo.

§. 108. Etſi vero vna eademque omnis horum temporum theoria fuerat, triplici tamen modo propoſita eſt. Antiquiſſima, quam quoque dogmatici medici maxime ſequuti ſunt, in libro de natura humana continetur, quem Hippocrati teſtimonia veterum permulta tribuunt *d*). Fundamentum illi eſt antiqua philoſophorum de quatuor elementis animalis & humani corporis opinio *e*). Vnum vero eſſe, homo cum non poſſit, adeoque nec ex ſolo aere, nec ex ſolo igne,

nec

nec ex ſola terra, nec ex aqua conſtare, quoniam tunc non doleret, vnumque medicamentum vnaque ejus actio in omnibus affectionibus foret, etiam neque ex ſanguine ſolo, nec ex bile ſola, nec ex phlegmate ſolo componi potuit, ſed potius ex his omnibus. His vero quatuor qualitates ineſſe ſtatuerunt, calidum, ſiccum, frigidum, humidum, quae in omni homine deprehendantur, quae etiam ad hominis generationem neceſſariae ſint, & in quas homo poſt mortem reſolvatur. Has itaque quatuor qualitates quatuor humoribus proprias eſſe ſtatuerunt, qui cum ipſo homine generentur, nutriantur, in eoque ſemper exiſtant. Indeque eos corpori ſemper ineſſe, nec fieri poſſe per externas cauſas, vt horum humorum quidam in corpore plane deſit, exiſtimarunt *f*).

d) Teſtimonia veterum de hoc libro collecta a me leguntur in Fabric. bibl. Graec. ed. Harleſ. L. II. c. 23. §. 25. n. 34.

e) Hipp. de nat. human. §. 1. tom. I. p. 263. & de principiis ſive carnibus §. 1. p. 112. tom. I.

f) Univerſa haec theoria continetur in libro Hipp. de natura humana §. 1—8.

§. 109. Horum vero humorum duplicem conceptum veteres habuere. Eos aquam, pituitam, ſanguinem & bilem eſſe primum docuiſſe videntur: ſed ſub phlegmatis, aut pituitae nomine aquam quoque intelligentes, bilem duplicem ſtatuerunt, atram nempe & flavam, vt itaque quatuor humores

mores ſint, quos jam auctor libri de natura humana propoſuit *g*), ſanguis, pituita, bilis flava & atra.

g) Hipp. de nat. human. §. 5. t. I. p. 266.

§. 110. Quatuor vero his humoribus origines has eſſe putabant: Ipſum ſemen, ex quo homo generatur, ex his humoribus compoſitum eſſe *h*), hinc eos ad prima humani corporis elementa, ex quibus compoſita ſint reliqua omnia, pertinere. Ventriculum communem eorum fontem eſſe, ſingulos vero humores fontes ſuos ſingulares habere: cor ſanguinis, caput pituitae, ſplenem aquae, hepatis folliculos bilis fontes eſſe *i*). In omnibus vero cibis ſingulorum horum quatuor humorum particulam contineri. Qui cibi, vbi in ventriculum venerint & in eo digerantur, exſolvi ex iis humores & quidem omnes, non vero ex omnibus cibis eadem quantitate: cor vero, caput, ſplenem & jecur proprios ſibi humores ex communi hoc fonte trahere *k*): trahere vero haec viſcera tantum, ſi vacua ſint, ex plenis vero hos humores in reliquum corpus diſtribui.

h) Hipp. de genitura §. 5. t. I. p. 127.
i) Hipp. de morbis Libr. IV. §. 2. t. II. p. 121.
k) Hipp. de morbis Libr. IV. §. 2.

§. 111. Plenitudinem horum humorum (§. 110), aut omnium, aut ſingulorum, vario modo poſſe naſci. Aut enim fieri, vt privati ſingulorum humorum fontes, humorem ſuum ex ventriculo non

hauriant, eumque tunc per alvum decedere: aut vt per vim, quam anni tempeſtates in corpus habent, generatio alterius copioſior, alterius minus copioſa ſit. Sic pituitam hyeme abundare, vere ſanguinem, aeſtate & autumno bilem, autumno & ineunte hyeme atram bilem. Inde morbos naſci, quos noſtra aetas commode annuos dixit *l*).

l) Haec praeclare expoſita leguntur in libro Hipp. de natura humana §. 12—17.

§. 112. Sanum autem eſſe hominem, ſi hi quatuor humores temperamentum habeant moderatum, cum facultate (δύναμις), tum copia, & maxime, ſi probe inter ſe permixti ſint *m*). Neque conſiſtere poſſe ſanitatem, niſi per alimenta hi quatuor humores in corpus ferantur quotidie, neque id, quod nimia copia ingeſtum fuerat, excernatur quotidie *n*). Morbos vero naſci, 1) ſi quatuor hi humores aut omnes, aut ſinguli, vel abundant, vel deſunt: 2) ſi alter ab altero ſeparatur, neque per reliquos omnes temperatur: 3) ſi vero quis horum humorum ſeparatim exiſtit, & in ſe ipſo conſiſtit, tunc locum aegrotare, & quidem vnde ſeceſſit, & in quo exiſtit, & in quem propter nimiam copiam fertur *o*). Naſci vero etiam morbos, ſi ea, quae per cauſas extra hominem ſitas eveniunt, minus apta corpori & praeter diaetam accidunt *p*). Naſci tandem & morbos a violentia externa *q*).

m) Hipp.

m) Hipp. de nat. human. §. 6. t. I. p. 267.
n) Hipp. de morb. L. IV §. 16. t. II. p. 132.
o) Hipp. de nat. human. §. 6.
p) Hipp. de morb. L. IV. §. 24. t. II. p. 142.
q) Hipp. de morb. L. IV. §. 24.

§. 113. Esse autem ob elementa, ex quibus compositi sunt hi quatuor humores, singulis suam qualitatem, calidam, frigidam, siccam humidam: nasci vero morbos, si calidum nimis calefaciat, frigidum nimis frigefaciat, humidum nimis humectet, siccum siccet. Hinc etiam omnium medicamentorum actionem esse aut calefacientem, aut frigefacientem, aut humectantem, aut siccantem *r*). Dolorem ex evacuatione abundantium singulorum humorum nasci, esse autem duplicem, scilicet ob locum vnde evacuetur, & ob eum locum, ad quem feratur *s*).

r) Hipp. de nat. human. §. 2. t. I. pag. 265.
s) Hipp. de nat. human. §. 7. t. I. pag. 267.

§. 114. Hactenus enarratam theoriam omnes medici dogmatici, ad Asclepiadis fere tempora, sequuti sunt, ita tamen, vt hoc vel illo modo varias illius doctrinas mutarent. Sic auctor libri de morbis I. & II. ab ea deflexit, omnes morbos a bile & pituita, nec non ab externis causis, vulnerum exemplo, oriri statuens.

§. 115. Alia quoque est, quae in libro primo de diaeta proponitur. Duo tantum corporum animalium elementa, arctissime inter se iuncta, vt quoque alterius qualitates ab altero temperen-

tur, auctor, Heraclito praeeunte (§. 72.), statuit, ignem omnia per omnia moventem, & aquam, omnia per omnia nutrientem. Qualitates igni calidas & siccas, aquae frigidas & humidas esse statuit, sed, vt ipsa elementa, ita temperatas, vt vita sanitasque consequatur. Eique theoriae diaetam hominum, singulis quoque anni temporibus convenientem, accommodavit.

§. 116. Platonis tandem sententia de morborum originibus enarranda est, quam medici plures sequuti esse videntur, quamque etiam Galenus cum Hippocratis doctrina convenire docuit *t*). Aerem, ignem, aquam & terram corporis animalis elementa esse statuit *u*), morbos vero oriri dixit, ex horum elementorum contra naturam abundantia, defectu & ex loco proprio in alienum translatione, quo efficiatur, vt intestina seditio morbique nascantur, calescant, quae frigebant, arida madeant, levia graveſcant, caet. Quae cum fiunt in corporis partibus vario compositis, bilem vtramque, cruorem, pituitam, nasci: nasci vero etiam morbos, a spiritu per respirationem hausto in corpore praecluso *x*), & a simplici elementorum abundantia, ab igne nempe febrem continuam, ab aere febrem quotidianam, ab aqua tertianam, a terra quartanam.

t) in libro de Hippocratis & Platonis decretis tom. V. p. 78. ed. Chart.

u) in

u) in Timaeo pag. 413. Vol. IX. oper. edit. Bipont.
x) in Timaeo pag. 419.

§. 117. Deceſſit etiam ab hac doctrina aliquo ſaltim modo Prodicus, quem alii cum Herodico Selymbrienſi (§. 89.) vnum eſſe ſtatuunt, quemque Plinius Hippocratis auditorem fuiſſe refert *y*), calidam phlegmatis naturam eſſe ſtatuens *z*), quam frigidam eſſe theoretici docuerant.

y) Libr. XXIX. cap. 1.
z) vid. Galen. de Hipp. et Platonis decretis Libr. VIII. cap. 6. pag. 238. tom. V. ed. Chart. de facultat. natural. Libr. II. cap. 9. p. 48. tom. V. de differ. febr. Libr. II. cap. 6. p. 132. tom. VII.

§. 118. Morborum curationem huic theoriae medici penitus accommodarunt, vt ipſam adeo morborum obſervationem ob eandem neglexiſſe videantur, ipſaque medicina practica eo redderetur incertior, in quo magis diverſas de ſingulorum morborum originibus medici irent ſententias. Quod mox poſt natam hanc dogmaticam medicinam, empiricae anſam dedit. Medicamentis vires adſcribebant his quatuor humoribus aut omnibus, aut ſingulis corrigendis, educendis aptas. Hinc quatruplicem actionem in alterantibus ſtatuebant, calefacientem, frigefacientem, ſiccantem, humectantem: tot vero genera evacuantium medicinarum eſſe, quot humores exiſtant, quae evacuantium diviſio in noſtro adhuc ſyſtemate medico eſt. Ipſa vero medicamenta ſimplicia eligebant, parum compoſita mixtave.

Acutos morbos in primis diaeta, diuturnos medicamentis, & quidem vt plurimum humorem, quem morbum induxiſſe putabant, vehementer ducentibus, curabant.

§. 119. In numero diſcipulorum Hippocratis fuiſſe dicuntur Dioxippus Cous, Hecatomni, Cariae regis, & ipſius filiorum curatione celebris, quemque Platonem in theoretica medicinae parte eſſe ſequutum credibile eſt *a*), nec non Apollonius. Utrumque aegros febricitantes large quidem cibaſſe, verum ſiti enecaſſe, ex Eraſiſtrato Galenus refert *b*). Eandem curationis viam Petron quoque ingreſſus eſt, horum temporum medicus *c*). Ad haec quoque tempora referendi ſunt Theomedon, Eudoxi Cnidii praeceptor, Nicomachus, Ariſtotelis pater, ex Aſclepiadarum gente, Amyntae, Macedonum regis, medicus, Critobulus, Philippi, Macedonum regis, medicus, qui ſagitta ex Philippi oculo extracta *d*) & Alexandri, graviter vulnerati, curatione *e*) magnam famam conſequutus eſt. Memorandi tandem ſunt inter medicos horum temporum Hippocrate partim ſuperiores, partim ei coaevos Phaon, Philiſtion, Ariſton *f*), Meton, Menecrates Syracuſanus, vix ſanae mentis vir, Acumenus, Socratis amicus, Eryximachus, Acumeni filius, Pittalus, Aceſias, aliique, quos nominarunt Clericus atque Schulzius *g*).

a) Schulz. Period. II. c. 1. §. 5.

b) Galen

b) Galen. comm. III. in Hipp. de diaet. acutor. n. 38. p. 105. tom. XI. Chart.

c) Celſus Libr. III. cap. 9. p. 108. ed. Targ.

d) Plin. L. VII. cap. 37.

e) Curtius L. IX. c. 5.

f) Galen. Comm. I. in libr. Hipp. de diaet. acut. n. 12. pag. 7. t. XI.

g) Cleric. in hiſt. med. part. I. Libr. IV. Schulz Period. I. Sect. III. c. 6. & period. II. cap. 1.

§. 120. Medicos Alexander, Macedonum rex, habuit Philippum, cui hanc fidem adhibebat, vt medicamentum, quod alii venenum eſſe dixerant, biberet, eundem forte cum Philippo Epirota, quem Celſus *h*) nominat, Glauciam, ſupplicio crucis ob Hephaeſtionis mortem, affectum, Alexippum, Pauſaniam, Androcydam, Critodemum, Theſſalum *i*).

h) Celſ. Libr. III. cap. 21. p. 126.

i) vid. le Clerc p. 1. L. IV. c. 4. Schulz period. II. cap. 2.

§. 121. Memorandus hic eſt quoque Ariſtoteles Platonis diſcipulus, ex Aſclepiadarum gente ortus, Alexandri Magni praeceptor & amicus, a quo, vti a Philippo, patre Alexandri, adjutus *k*) libros ſuos ad animalium hiſtoriam pertinentes contexuit. Ut omittam philoſophiam, in qua princeps extitit, primus fuit, qui animalium naturam indagaret, obſervationibus omnis generis, incredibili copia, inciſionibus, vivorum quoque animalium, inſtitutis. Primus hinc anatomes,

poſt priſcos ſapientiae profeſſores & Hippocratem inſtaurator dicendus eſt, etſi hominum corpora tanto ſtudio, quanto animalium, inſecuiſſe non videtur *l*).

k) Accepiſſe fertur ab Alexandro ad opus ſuum de animalium hiſtoria DCCC talenta, quae ſumma eſt 1,025oo imperialium, ſi Athenaeo (deipnoſ. L. IX. p. 398.) fides eſt. Aliquot caeterum, Plinio referente, L. VIII. c. 16. millia hominum in totius Aſiae Graeciaeque tractu ipſi juſſa erant, omnium, quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant, copiam ipſi facientes quibusque vivaria, armenta, alvearia, piſcinae, aviaria in cura erant.

l) Negat inſecuiſſe Ariſtotelem humana cadavera Du Val, in ſynopſ. doctrinae peripatet. Oper. Ariſtot. t. II. p. 78. probat vero Hallerus in bibl. anat. tom. I. pag. 31.

§. 122 Quae in ſtatu animalium ſano eveniunt, quidem copioſiſſime expoſuit, haec vero in medicina nullam mutationem effecere, nec quae de morborum quorundam originibus tradidit, theoriam medicorum mutarunt. Ut in medicinae hiſtoria ideo tantum nominandus ſit, quod philoſophorum antiquorum errores de partibus animalium eorumque vſu confutavit; quod vniverſam animalium naturam diligentiſſime ſcrutando primus extitit, qui non ſolum anatomen omnem diligentiſſime tractavit, ſed etiam comparativa, quam vocant, anatome longe plurimorum animalium inſtituta, differentiam ſitus, ſtructurae, vſus, partium docuit, tandem quod eo inprimis,

&

& peripateticis philoſophis auctoribus amor anatomicae ſcientiae inter medicos natus eſt, quam principes viri, ducti ejus exemplo, coluerunt *m*). Peripatetica quoque philoſophorum ſecta, quam condidit, ſtudio, quo ad naturalium corporum naturam indagandam ferebatur, multa ad medicinam ipſam contulit.

m) vid. de Ariſtotele du Val ſynopſeos analyticae vniverſae doctrinae Peripateticae P. II. in tom. II. oper. Ariſtotelis & Hallerum, in bibl. anatom. Tom. I. pag. 31. ſeq.

§. 123. Alexander Magnus ad medicinae incrementa multum contulit, Graecorum artibus & ſcientiis ad Perſas, Indos, Africae partem nobiliſſimam delatis, Aeſculapii quoque cultu ad easdem gentes translato, commercio Graecorum & mercatura cum his gentibus auctis: allatis in Graeciam ex Arabia, India, Aſia interiore Africaque mercibus medicinalibus, & tandem condita Alexandria, ſcientiarum, inprimis medicinae, vſque ad Galeni tempora, & poſt ea, emporio.

§. 124. Nova ſane poſt Alexandri tempora & theoreticae, & practicae medicinae facies eſt. Anatome, neglecta antea, Diocle praeſertim auctore, ſtudioſe culta: medicamenta, quorum vix multa, neque valde compoſita, neque fere in aliis terris, Aegypto excepta, naſcentia ſciebant majores, poſt Alexandrum ſumme multiplicata in libris medicorum deprehenduntur. Eaque me-

dicamentorum ex Arabia, India, Perſia, Aegypto allatorum copia practicam non ſolum medicinam dilatavit, verum effecit etiam, vt ſenſim altior de morborum originibus theoria negligeretur, vtque medici magis de eo eſſent ſolliciti, quod curaret morbum, quam quod feciſſet. Et hoc modo geſta ab Alexandro ad empiricae ſectae origines contulerunt.

§. 125. Theophraſtus Ereſius, Platonis, deinde Ariſtotelis auditor hujusque in ſchola ſucceſſor, etſi medicinam non tradidit, ſed philoſophiam, cum eaque de vniverſa natura doctrinam, neque in medicorum doctrinis quidquam mutavit, memorandus tamen eſt, quia primus de re herbaria auctor, & mirae quidem ſagacitatis indefeſſique ſtudii fuit. Proprio ingenio vſus, itineribus per totam Graeciam inſtitutis, non plantas ſolum in patrio ſolo creſcentes perſcrutatus eſt, ſed quoque per Alexandri expeditiones ex Arabia, India, Aegypto, allatas. Peritiſſimum in medicina fuiſſe libri medicinales de ſudoribus, vertigine, laſſitudinibus, nervorum reſolutione, animi defectione, libri de hiſtoria plantarum & libri de cauſis plantarum docent: docuiſſent maxime libri de hiſtoria plantarum nono ſuperiores, deperditi. Botanicen ſuis temporibus inprimis fuiſſe cultam multa ſuadent. Thraſyam Mantinenſem & Alexiadem, rei herbariae peritiſſimos, ipſe memorat.

§. 126.

§. 126. Sed vt ad medicorum Hippocrateorum ſcholam redeam, notandum eſt, eam ante Dioclis tempora in ſcientia eorum, quae ad cauſas & modos functionum in ſano corpore pertinent, majorum placita non mutaſſe & diverſa philoſophorum dogmata (§. 62—72) eſſe ſequutam *n*). Et licet philoſophi multa de ſingularum partium corporis animalis functionibus dixerint, quae ad obſervationem ducere potuiſſent, eas tamen minus duce obſervatione, magis theoria, quam philoſophi ſimul tradiderant, explicuere. Ut adeo, quod & Galenus *o*) monuit, Ariſtoteles primus de corporis partibus recte docuerit, rectaque nomina partibus demum poſt eundem data ſint.

n) Galen. de element. L. I. c. 9. pag. 24. tom. III.
o) Galen. introduct. ſ. medicus c. 10. pag. 368. t. II.

§. 127. Poſt ejus vero tempora medici, quos omnes ante Herophilum floruiſſe Galenus *p*) refert, humani corporis fabricam diligentius ſcrutati ſunt, & libros de vniverſi corporis partibus ſcripſerunt Diocles, Praxagoras, Pliſtonicus, Philotimus, Mneſtheus, Dieuches, Chryſippus, Antigenes, Medius. In hominum cadaveribus vero ante Herophilum & Eraſiſtratum raro anatomen eſſe inſtitutam, eamque ſi inſtituta fuerit, caſum obtuliſſe, exiſtimandum eſt *q*). Hinc imperfectam partium *r*) vſusque, quem praeſtant, cognitionem habuerunt.

p) Galen.

p) Galen. comm. II. in Hipp. de natura human. p. 137. tom. IV.

q) Galen. de anat. adminiſtr. L. III. c. 5. p. 79. tom. IV.

r) Galen. de anat. adminiſtr. L. II. c. 9. p. 60. 61. t. IV. Qui locus notatu digniſſimus eſt: muſculi enim pedis, qui ignoti manſerant antiquis, in eo deſcribuntur, cf. Galen. de diſſect. matric. c. 10. t. IV. p. 282.

§. 128. Principes poſt Hippocratem, qui Hippocrateae ſcholae theoriam (§. 108—118) ſequuti ſunt, attamen & in quibusdam aliter ſenſerunt, fuere Diocles, Praxagoras, Philotimus, Herophilus. Diocles Caryſtius, ex Aſclepiadarum gente, qui mox poſt Hippocratem vixit, primus omnium anatomes auctor extitit, libro περὶ ἀνατομῆς ſcripto *s*), in quo octo venas de capite deſcendere docuit *t*). Ex hoc libro excerpta dederunt Plutarchus, Macrobius, quae collecta leguntur apud Clericum & Schulzium *u*). Arteriam magnam cognitam habuit, abſceſſusque pectoris per eam ad renes & veſicam ferri docuit *x*). Semen e cerebro & dorſi medulla excerni *y*): per reſpirationem innatum calorem refrigerari tradidit *z*).

s) Galen. de anat. adminiſtr. L. II. c. 1. pag. 47. t. IV.

t) Galen. comm. II. in Hipp. de natura human. pag. 137. tom. III.

u) le Clerc hiſt. de medec. P. I. L. IV. cap. 5. p. 278. Schulz. hiſtor. anatom. ſpecim. I. §. 28. hiſt. med. period. II. cap. 1. §. 16.

x) Galen. introduct. f. medic. c. 13. pag. 382. t. II.

y) Galen. def. med. 439. p. 276. tom. II.

z) Galen.

z) Galen. de vſu reſpirat. cap. 1. pag. 413. tom. V.

§. 129. In pathologia ſcholam Hippocrateam ſequutus eſt. Morbos ex inaequalitate elementorum, ex contrario eorum ſtatu & ex aeris conſtitutione oriri exiſtimavit *a*). Quatuor humores *b*), & quatuor eorum qualitates *c*) ſtatuit, quibus ex parte patientibus, ex parte agentibus omnia in corpore regantur *d*). Propria ipſi erat opinio, febrem ἐπιγενήμα eſſe *e*): ſudorem nunquam naturali lege fieri *f*). Morbos optime deſcripſit *g*), ita tamen, vt in ſingulorum ſymptomatum origines inquireret. In ſemiotice Hippocratem ſequutus eſt *h*). Curationes ſuas, quarum exempla permulta dedit Caelius Aurelianus, ita inſtruxit, vt humorem, quem cauſam morbi eſſe putabat, revellendo, aut evacuando, partes affectas liberaret. De alimentis & medicamentis multa ſcripſit, eorumque vires obſervatione diſcendas eſſe docuit. Chirurgiam calluit, & in libro forte, quem ſcripſit, κατ' ἰητρεῖον, ferramentum ad tela e corpore extrahenda deſcripſit *i*). Docuit quoque, quomodo femoris os ex coxa elapſum reponendum ſit *k*). Libros multos ſcripſit, quos citant ſubinde Galenus, Caelius Aurelianus. Oribaſius quaedam ex libris ejus excerpta collectionibus ſuis medicinalibus inſeruit *l*).

a) Galen. de hiſt. philoſoph. c. 39. pag. 58. t. II.

b) Galen. de Hippocratis & Platonis decret. L. VIII. c. 5. t. V. p. 236. Ej. comm. in aph. II. 34. p. 75. t. IX.

t. IX. Cael. Aurel. chron. I. 4. p. 320. ed. Amann. ab. ann. 1722. 4.

c) Cael. Aurel. chron. V. 1. pag. 556.

d) Galen. de natural. facult. L. II. cap. 8. pag. 44. tom. V.

e) Galen. de hiſtor. philoſ. c. 39. t. II. p. 58.

f) Galen. de ſymptomat differ. c. 6. t. VII. p. 43.

g) Quod probat fragmentum de melancholia, quod Galenus exhibet, de loc. affect. Libr. III. cap. 10. p. 411. tom VII.

h) Galen. de atra bile cap. 8. pag. 177. t. III.

i) Celſ. L. VII cap. 5. n. 3. pag. 352.

k) Celſ. L. VIII. cap. 20. pag. 467. Galen. comm. IV. in Hipp. de artic. n. 40. p. 454. t. XII.

l) IV. coll. medic. c. 3. de alimentorum praeparatione. L. V. cap. 4. de aqua corrigenda. c. 26. de vino ſanitatem conſervante. L. VIII. c. 41. de purgantibus. Synopſ. Libr. V. cap. 31. victus eorum, qui iter faciunt. c. 33. victus navigantium.

§. 130. Praxagoras Cous, Nicarchi filius, ex Aſclepiadarum gente, Diocli coaevus, qui ſumma medicae & anatomicae ſcientiae laude eminuit, primus arterias a venis diſtinxit & in arteriis humorem contineri negavit *m*). Nervos a corde oriri cum Ariſtotele *n*), arterias in nervos mutari *o*), reſpiratione animam corroborari *p*), ſanguinem ex alimento mediocris venarum caloris, reliquos ſuccos ejusdem caloris aucti aut minuti ope fieri *q*) docuit. Pituitoſum humorem craſſum, crudum, tenacem, novo pituitae vitreae nomine inſignivit, ejusque tres differentias, acidam, dulcem, ſalſam eſſe *r*) ſtatuit. Qui humor morbo-

morboſus ab ejus inde temporibus in pathologiam receptus eſt. Morborum obſervator diligens, qui quoque febres intermittentes malignas cognitas habuit *s*), revulſioni, derivationi & evacuationi in morborum curatione, ductus theoria de quatuor humoribus, morborum cauſis, plurimum tribuit, efficaciore quoque, imo audaci medicina ſubinde vſus *t*). Medicamenta primus commendavit ex hippopotamo *u*), quod primum forte medicinarum per Alexandrum in Graeciam allatarum exemplum eſt. Libros, quos ſcripſit, citant Galenus & Caelius Aurelianus.

m) Galen. de dignoſc. pulſib. L. IV. cap. 2. pag. 160, tom. VIII.

n) Galen. de Hipp. & Platon. decret. Libr. I. c. 6. pag. 80. t. V.

o) Galen. de Hipp. & Platon. decret. L. I. c. 6. p. 80.

p) Galen. de vtil. reſpirat. cap. I. t. V. p. 413.

q) Galen. de nat. facult. L. II. c. 8. pag. 46. tom. V.

r) Galen. de ſanit. tuend. L. IV. c. 4. p. 122. t. VI. de different. febr. L. II. c. 6. tom. VII. pag. 132. 133. Pituitam dulcem, temperatam & vitream ſtatuiſſe Praxagoram, refert Rufus Epheſius de appellat. part. corp human. pag. 43. ed. Clinch. vbi vid. & alia nomina, quae ſuccis dediſſe fertur.

s) Cael. Aurel. acut. Libr. II. c. 10. pag. 97.

t) vid. ilei curationem preſſione inteſtini & abdominis inciſione peragendam, apud Cael. Aurelian. acut. L. III. c. 17. p. 243. ſynanches, uvae praeciſione, vomitu, acutor. L. III. c. 4. p. 192. phthiſeos, hellebori adminiſtratione, chron. L. II. c. 14 p. 427. Caeterum memorandum eſt, eum pleuriticis poſt diem

quin-

quintum venam non inſecuiſſe, balnea calida ad inflammatorios morbos commendaſſe, Cael. acut. L. II. c. 21. p. 130. ventrem in dyſenteria duxiſſe eumque morbum per involventia curaſſe. Cael. chr. L. IV. c. 6.

u) Cael. Aurel. chron. L. I. c. 4. pag. 320.

§. 131. Reliquos ex hac Hippocrateorum ſchola medicos, Eudemum, anatomes ſubtilius cultae auctorem praecipuum *x*), qui cum Herophilo glandulis praecipuam operam dedit *y*), Mneſitheum, Dieuchen, Philotimum, Praxagorae auditorem, qui Eraſiſtrati aetate claruit, lubens omitto, vt ad Herophilum, Praxagorae diſcipulum nobiliſſimum & ex Hippocratea ſchola virum principem, tranſeam.

x) Gal. comm. II. in Hipp. de nat. hum. p. 137. t. III.

y) Gal. Libr. II. de ſemine. c. 6. p. 228. t. III.

§. 102. Summus hic in medica ſcientia vir, primus, referentibus omnibus, anatomen tanto ſtudio excoluit, vt humana quoque cadavera, imo, quod de eo & de Eraſiſtrato refert Celſus *z*), de ſolo vero Herophilo Tertullianus *a*), viventes quoque homines incideret, neque judicaret, niſi de his, quae ipſe vidiſſet *b*). Laude autem tanta anatomes floruit, vt poſt eum, ad ſua vſque tempora, anatomen, nervorum praeſertim atque glandularum, neminem accuratius eſſe proſequutum Galenus dicat *c*). Alexandriae, quae vrbs ſedes erat exactioris anatomicae ſcientiae *d*), eum regum Aegypti juſſu cadavera hominesque

nesque incidisse vero simile est. Nervorum tria genera statuit, alterum, quod e cerebro prodiret, & sensui motuique praeesset: alterum, quod ab ossibus nasceretur ad eaque procederet: tertium quod a musculis oriretur *e*): sub quo vtroque genere, more veteribus ad Galenum vsque, & post eum, communi, ligamenta articulorum & tendines intellexit. Paralysin, in qua motus, aut sensus, aut vtrumque perit, a nervis scite repetiit *f*). Membranae cerebri choroideae, tunicae oculi retinae & arachnoideae, calamo cerebri scriptorio, torculari, nomina primus dedit *g*): arterias venasque pulmonales vidit *h*): venas intestinorum, quae non sursum ad cavam tenderent, sed in glandulas desinerent *i*), cognitas habuit intestinoque duodeno suum nomen tribuit *k*).

z) Cels. praef. ad L. I. pag. 5. 6.
a) Tertull. L. de anima. c. 10.
b) Galen. de opt. secta, c. 2. p. 300. t. II.
c) Galen. de adm anatom. L. II. c. 1. p. 46. t. IV.
d) Galen. de adm. anat. L. I. c. 2. p. 27. t. IV.
e) Rufus Ephes. de part. corp. human. appellat. L. I. p. 43.
f) Galen. de loc. affect. L. IV. cap. 9. pag. 470. t. VII.
g) le Clerc hist. de la medec. P. II. L. I. c. 6. p. 320. seq. Haller bibl. anat. Tom. I. p. 59.
h) Rufus Ephes. de part. corp. hum. appellat. L. I. p. 42.
i) Galen. de vsu partium L. IV. c. 19. p. 392. t. IV.
k) Galen. de loc. affect. L. VI. c. 3. pag. 511. t. VII.

§. 133. In reliquis medicinae partibus diverſas ab aliis vias ingreſſus eſt. Medicinam ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, neutrorum, dixit *l*), hisque convenire corpora, ſigna, cauſas *m*). Morbos a quatuor humoribus (§. 108—113.) oriri ſtatuit, quae vero de ſingulorum morborum natura docuit, ex fragmentis iſtis quae ad nos pervenerunt, vix intelliguntur: memoratu tamen dignum eſt, eum repentinam mortem, quae absque cauſa manifeſta incidit, a cordis reſolutione oriri docuiſſe *n*). Caeterum de morborum hiſtoria & curatione non multa ſcripſit *o*).

l) Galen. introduct. ſive medic. c. 6. p. 365. t. II.

m) Galen. de Hippocr. & Platon. decret. L. VIII. c. 5. p. 237. t. V.

n) Cael. Aurel. chron. L. II. c. 1. p. 348.

o) vid. Cael. Aurel. acut. I. 12. p. 39. II. 6. p. 84. II. 18. p. 123. II. 29. p. 142. & loca permulta alia.

§. 134. In pulſus definitione & diviſione ſubtiliſſimus fuit. Docuit pulſare arterias, non ſecus ac cor, verum eas hanc facultatem non habere innatam, ſed cordi referre acceptam *p*). Arteriarum pulſus in modulos certos legesque medicas per aetates ſtabiles, aut citatos, aut tardos, miranda arte deſcripſit *q*) eumque motum arteriarum, in temporibus ordinem habentem, rhythmum dixit *r*). In pulſuum caeterum differentiis ſubtilius enarrandis primus extitit *s*).

p) Galen. de different. pulſ. L. IV. c. 2. pag. 82. t. VIII.

q) Plin.

q) Plin. L. XI. cap. 37.

r) Galen. de different. pulſ. L. II. c. 6. pag. 47. tom. VIII.

s) Galen. de different. pulſ. L. II. c. 3. p. 40. t. VIII. Barchuſen diſſ XV. §. 10.

§. 135. Etſi curationum librum ſcripſit, quem Caelius *t*) memorat, eumque in diverſas curandi vias proceſſiſſe refert Corn. Celſus *u*), pauca tamen de ejus medendi inſtituto ſcimus. Medicamentis magis, quam majores, ſtuduiſſe, omnes referunt. Herbarum ſtudium, quibus vires incognitas multas ineſſe docuit, commendavit *x*). Medicamentis compoſitis multas vires tribuit *y*), eamque ſolam ob cauſam Galenus eum medicis accenſuit empiricam ſectam praeparantibus.

t) Cael. chron. L. II. c. 13. p. 416.

u) Celſus in praef. ad L. I. p. 3.

x) Plin. L. XXV. cap. 2.

y) Celſus in praef. ad Libr. V. p. 194.

§. 136. Obſcura & difficili dictione etſi vſus eſt, quod etiam effecit, vt vſus ſub eo paulatim ad verba garrulitatemque deflecteret *z*), tamen propriam ſectam condidit, quae vero, quod ejus aſſeclae in definitionibus & diſtinctionibus laborabant, neque recenti ordine vſi ſunt, mox extincta eſt. Diutius durarunt empirici, quorum principes viri medicinam apud eum didicerant. Herophilum ipſum pluresque Herophileos Hippocratis libros illuſtraſſe commentariis notandum eſt *a*).

 z) Plin.

z) Plin. Libr. XXVI. cap. 2.

a) Herophili ſectatores ſtudioſe enarrat Clericus, P. II. L. I. c. 7. Herophileos in Hippocratem commentatores enarravi in Fabricii biblioth. Graec. L. II. c. 23. §. 27. Vol. II. p. 598.

§. 137. Prius, quam ad Eraſiſtratum, propriae ſectae conditorem, quae Galeni temporibus & ſcholas adhuc ſuas habebat, & permultos aſſeclas, vltimumque rationalium medicorum ante empiricorum ſectam ortam, accedam, Chryſippus memorandus eſt, Cnidius, a quo praeceptore Eraſiſtratus permulta recepit, de ejus vero, quem cum Stoicorum Chryſippo & aliis ejusdem nominis ſcriptores permutarunt, doctrinis id ſolummodo notum eſt, eum purgantia & venae ſectionem proſcripſiſſe *b*).

b) Schulz hiſtor. med. Period. II. c. 1. §. 43. 44.

§. 138. Mutavit vero & theoreticam, & practicam medicinam ſummus vir, Eraſiſtratus Ceus. Corpora, etiam vivorum hominum, incidit. Vaſa lactea vidit, cordis valvulas: de nervorum origine, venarum & arteriarum decurſu, caet. multa, rectioraque primus docuit *c*). Univerſam de humoribus veterum doctrinam (§. 108-113.) evertit *d*), neque humores quidquam ad morbos conferre exiſtimavit: primus hinc ejus pathologiae, quae in ſolidis partibus omne vitae & morborum principium ponit, auctor. Elementa hinc corporis animalis in ſolidis partibus conſiſtere & haec eſſe nervos, venas & arterias ſtatuit *e*).

In

In arteriis ſpiritum contineri, qui inſpiratione attraheretur, hinc ab aere non differret, ſanguinem venis ineſſe. Hinc generalem omnium morborum cauſam poſuit ſanguinis in arterias lapſum *f*): remotiorem vero alimentum vel nimium, vel incoctum, vel corruptum *g*).

c) vid. Haller biblioth. anat. Tom. I. p. 56.

d) Galen. de atra bile cap. 7 & 8. pag. 177. 178. tom. III.

e) Galen. introd. ſ. medic. c. 9. p. 367. 368. t. II.

f) Galen. an in arter. natura ſanguis contineatur. t. III. p. 154. qui liber in Eraſiſtrateos totus ſcriptus eſt. Gal. de adm. anat. L. VII. cap. 16. Gal. de pulſuum differentiis: de dignoſcendis pulſibus: de cauſis pulſuum: tom. VIII. de venaeſectione adverſus Eraſiſtratum & de venaeſectione adverſus Eraſiſtrateos Romae degentes. tom. X. p. 392. & 406.

g) Galen. de hiſtor. philoſ. c. 39. p. 38. t. II.

§. 139. Generali huic de morborum originibus opinioni theoriam ſingulorum morborum accommodavit. Febres oriri docuit, ſi aequilibrio, quod inter ſpiritum arteriarum & ſanguinem venarum eſſe debet, per abundantiam ſanguinis, aut quamcunque cauſam aliam, ſublato, ſanguis in arterias tranſiret: ſi vero ſanguis, qui in arterias tranſierat, ab ipſo ſpiritu repelleretur haereretque condenſatus in arteriarum finibus, tunc inflammationem, febremque inflammatoriam exiſtere putavit *h*). Idque cauſa erat, cur venae ſectionem plane repudiaret, omnia violenta medicamenta reiiceret, aegrisque inediam & exer-

citationem praeciperet, quod his optime ſanguinis copiam temperari tranſitumque in arterias prohiberi putabat *i*). Medicamentis crebrioribus vſum eſſe & magis compoſitis pro ſaeculi more, Corn. Celſus *k*) & Galenus *l*), qui eum hanc ob cauſam ad empiricorum ſectam accceſſiſſe putat, referunt. Diaetae ordinandae ſummopere ſtuduit, in minimis etiam diligens *m*), quia maximam ſanitatis conſervandae & morborum curandorum partem in ea conſiſtere putabat. Medicamentis vſus eſt non validis, neque moventibus aut alvum vehementer ducentibus, ex plantis potiſſimum *n*).

h) Galen. de venaeſect. adv. Eraſiſtratum. c. 3. p. 394. 395. t. X.

i) Galen. ibid. c. 3. p. 395. de venaeſect. adv. Eraſiſtrateos. c. 8. pag. 423. t. X.

k) praef. ad Libr. V. pag. 194.

l) Galen. de ſectis cap. 5. pag. 289. t. II. Method. medend. L III. c. 3. pag. 62. t. X.

m) Galen. de venaeſect. adv. Eraſiſtratum. c. 1. p. 392.

n) Galen. de purgant. medic. facultat. L. II. cap. 1. p. 463. t. X.

§. 140. Chirurgiam exercuit. Catheterem ad virorum vrinam educendam invenit *o*). Diſcipulos & ſectatores habuit permultos, quos vide apud Clericum *p*).

o) Galen. introd. ſ. med. c. 13. p. 394. t. II.

p) Part. II. L. I. c. 5. cf. de Eraſiſtrato Barchuſen diſſ. XIV. §. 13. ſeq. Schulz period. II. c. 3. §. 35. Haller bibl. anat. tom. I. p. 56. bibl. med. pract. t. I.

t. I. p. 117. bibl. chirurg. t. I. p. 17. Jo. Fr. Henr. Hieronymi diſſ. exh. Eraſiſtrati Eraſiſtrateorumque hiſtoriam. Jen. 1790. 8.

§. 141. Et haec quidem (§. 106—140.) fuit rationalium medicorum priſcorum doctrina. In qua notandum eſt, eam ideo eſſe imperfectam, quod & ipſi medici vniverſum medicinae ſyſtema complexi eſſe non videntur, & omnium hactenus enarratorum medicorum ne vnicus quidem libellus ad nos pervenit. Abeſt denique a paucis fragmentis, quae Galenus & alii ſervarunt, neque ſectarum partiumque ſtudium, neque ipſum adeo odium. Hinc imperfecta ſunt, nec penitus cohaerentia, quae a Dioclis inde temporibus (. 126.) in medicina eſſe facta ſcimus.

§. 142. His temporibus medicinam in tres partes eſſe diductam Corn. Celſus *q*) & Galenus *r*) referunt. De qua partitione, quum in diverſas partes iverint auctores, notandum eſt, diviſionem medicinae etiam apud antiquiſſimos diverſum extitiſſe *s*) eamque non ideo eſſe factam, quod medici extabant, certae medicinae parti operam dantes, neglectis reliquis, verum ordinis in tractanda ſcientia cauſa. Omnes autem diviſiones theoreticam medicinam non tetigerunt, ſed ad practicam pertinuerunt, quam ἰατρικὴν medici proprie appellabant (§. 133). Practicae nobiliſſima diviſio in diaeteticen, pharmaceuticen & chirurgicen fuit, & quidem duplicem ob cauſam.

Prius enim, quam medicamentorum vſus, poſt Alexandrum Magnum, empiricis praeſertim auctoribus, crebreſceret, morbi acuti omnes & diuturni multi ſola fere diaeta ſanabantur, quae diaeta rerum non naturalium omnium moderamine morbis commodo erat comprehenſa: ſanorum quoque & imbecillorum diaeta, antiquorum ſapientiae profeſſorum exemplo, pars ἰατρικῆς non ignobilis exiſtimabatur. Cum vero medicamentorum copia vſusque copioſior evaderet, medicique in eorum virtute indaganda, nec non in componendis miſcendisque iis ſtudium quoddam ponerent, haec omnia minus commode in diaetetica aliave medicinae parte pertractari potuerunt, quae collecta in vnum locum enarrare hinc commodius viſum eſt. Chirurgice jam antiquiſſimis temporibus a medicina reliqua ſeparata fuit, quod Hippocratis libri probant. Talisque medicina in tres partes diducta fuit, quam Corn. Celſus *t*) exhibet. Poſtquam vero ad omnes morbos medicamenta adhiberi coepere, diaetetice tantum quae ad res non naturales pertinent, comprehendit, pharmaceutice medicamenta, chirurgice opem, quae manu praeſtatur Morborum tractatio ad nullam harum partium pertinuit, quibus auxilia continebantur tantum, quibus medicus morbos impugnare ſolet.

q) Celſus in praef. ad libr. I.
r) Galen. de part. art. medic. proem. p. 282. t. II.
s) Galen. loco mox citat.
t) Celſus in praef. ad L. V. pag. 194.

MEDI-

MEDICINAE ANTIQUAE
PERIODUS III.
SECTA EMPIRICORUM.

CAPUT X.

Antiquior originum hujus sectae praeparatio.

§. 143.

Venio nunc ad sectam nobilissimam omnium, qua vniversa medicina insigniter mutata est, quae assectas habuit nobilissimos, quaeque, etsi mox a prisca sua integritate descivit, tamen non prius, quam cum ipsa Graecorum medicina florere desiit.

§. 144. Ejus vero origines longe antiquiores sunt, quam vulgaris fert opinio. Non enim prima hominum medicina alia fuit, quam empirica (§. 9—13.), neque vllos progressus habere potuit, quam per empiriam, vt, qui practicam medicinam dilatarint, id ea sola duce feciſſe videantur. Experientia etiam si neglecta est, postquam theoriarum imperiosa libido philosophos medicosque invaserat, empirica tamen medicina nunquam sine assectis fuit, neque scholarum medicarum Graeciae celebriorum vlla empiria caruit, nisi forsan severiorum dogmaticorum, post empiricam sectam exortam.

§. 145. Antiquiſſimis enim, Acronis ſcilicet Agrigentini temporibus, qui cum Empedocle floruit, empirica ſecta jam extitiſſe dicitur ejusque auctor ipſe Acron eſſe perhibetur *u*). Quod ſi ideo etiam empirici perhibuerunt, vt ſuam ſectam antiquiorem ipſa rationali facerent, quae origines ſuas ab Hippocrate deducebat; negari tamen nequit, in ſcholis Aſclepiadarum vix aliam medicinam eſſe traditam, quam empiricam (§. 80—82). Cnidia praeſertim ſchola, quum omnia negligeret, quae ad aegrotantem pertinent & in mentem medentium non cadunt (§. 81.), eandem plane empiricam medicinam docuit, vt adeo cognitionum in rebus medicis fonte, tranſitu ad ſimile, ſtabilito, eidem cognoſcendi principio empiricorum nobiliſſimo origines primas dediſſe videatur. Quae ſchola etſi poſt Hippocratem eam gloriam non eſt conſequuta, quam per ipſum Hippocratem Coa; tamen non defuerunt, qui in ea & Hippocratis temporibus, & poſtea, medicinam & profiterentur, & diſcerent. Chryſippum, Eraſiſtrati praeceptorem, in Cnidia ſchola eruditum, ſupra diximus (§. 137): per eumque Cnidiae ſcholae praecepta ad Eraſiſtratum, & per hunc ad empiricorum ſectam, quae mox poſt Eraſiſtratum nata eſt, tranſierunt.

u) Plinius Libr. XXVIII. cap. 1. Galen. de ſubfigurat. empiric. c. 1. t. II. p. 340. Galen. introct. f. med. c. 4. p. 363. t. II. Ab Aeſculapio adeo origines ſectae empiricorum deducit Iſidorus Hiſpalenſis Orig. IV. 4.

§. 146.

§. 146 Coa ſchola, Cnidiae, ob aemulationis ſtudium, minus amica, ejusque rudiorem empiriam non amplexa quidem, a dogmaticorum tamen contemplationibus longiſſime abſuit: aberat etiam ab iisdem Hippocratis temporibus. Neque ipſe Hippocrates dogmaticis medicis vllo modo accenſendus eſt, quidquid etiam dixerint dogmatici poſt empiricos natos, qui gloriam ſectae ſuae accedere vani putabant, ſi Hippocratem principem ejus atque praecipuum auctorem dicerent. Dogmaticorum enim princeps in medicina finis cum eſſet contemplationis ope ad ſupremas morborum cauſas abditasque redire, neque ſe mederi putarent poſſe morbo, cujus cauſae vel abditiſſimae ipſis non eſſent perſpectae, Hippocrates has aut plane incognitas habuit, aut, ceu inutiles, neglexit, & in morbis quae praegreſſa erant, quae praeſentia notavit, futura vero in aegrotantibus conjectura quadam adſequutus eſt. Neque vllas morborum cauſas, niſi quas morbum produxiſſe obſervatio docuiſſet, adeoque manifeſtas, ad morborum curationem conferre dixit. Inde empirici quoque Hippocratem non a ſua ſecta alienum fuiſſe dixerunt, ſed potius praecipuum ejus auctorem *x*).

x) vid. Jo. Tzetzes hiſtor. VII. chiliad. 155. in Oper. Hipp. ed. Lind. t. II. p. 900.

§. 147. Cui experimento, quod nunquam in medicina deſiit, etiam in ſumma dogmaticorum ſeve-

ſeveritate, augendo anſam dedit medicamentorum poſt Alexandri Magni tempora multiplicatio. Qui diaeta antea ſanari conſuerant morbi, medicamentis ſanabantur. Mira, nec audita prius, quae praedicabantur de medicamentis, ingenia ad experimenta excitabant. Non ſufficere ad haec omnia theoriam, ſed obſervatione eruendum eſſe, quid faciat feratque natura, facile nunc perſpectum eſt. Quumque obſervatio doceret, mutationem, quae inciderat in corpore, in aliis quoque ſub iisdem conditionibus aut ſemper, aut vtplurimum incidere, neque hoc vlla theoria, hactenus cognita, poſſet explicari, facile intellexerunt medici, obſervationem eſſe medicae ſcientiae ejus, quae aegris opem fert ac ſanos tuetur, fontem principem. Sed eadem effecerunt, vt empirici poſtea a medicamentis inciperent, ab iisque reditu ad morbos facto hos medicamentorum tantum cauſa cognoſcendos eſſe exiſtimare viderentur.

§. 148. Ad quae omnia ipſa theoriarum natura contulit. Abditas cauſas generales, & quidem alia ſchola hanc, alia illam, ſtatuebat. Hae in tanta rerum phyſiologicarum caligine vix aliae, quam incertae, eſſe potuerunt. Et non morbos, ſed has cauſas, medici curabant. Erant hinc, qui ſe Hippocrateos dicerent, omnes theoreticos libros, qui Hippocrati adſcribuntur, illi tribuentes: erant qui huic, erant qui illi theoriae in Hippocra-

pocratis libris propositae adsentirentur: erant, qui Dioclem, qui Praxagoram, qui Herophilum, qui Chrysippum, qui Erasistratum sequerentur. Neque praeceptorum placita immutata siverunt, quod ab Herophileis in primis factum est. Erant qui humidis omnia adscriberent, erant qui nihil: erant qui purgantia praeciperent theoreticis argumentis ducti, erant qui aliis contemplationibus permoti ea fugerent: erant qui inediam summam omnium morborum medicinam esse putarent, erant qui repletionem accommodato cibo potuque. Nulla, verbo, erat neque theoreticae medicinae pars, neque adeo practicae, de qua non tot diversae essent sententiae, quot fere medici. Quisque morbos pro sua theoria curabat. Felix, infelix in curationibus Herophileorum, Erasistrateorum, successus facile docebat minus recta esse dogmaticorum placita, & minus interesse scire quid faciat morbum, quam quid tollat.

§. 149. Si in quatuor qualitatibus, frigido, humido, calido, sicco, & in quatuor humoribus solis constitissent medici statuendis curandisque, origines sectae empiricorum dilatae forsan fuissent: vnam enim opinionem homo, coeco actus impetu, sequitur: plures de eadem re explorat, quarum si nulla ipsi sufficit, novam quaerit. Si solam physiologiam tetigisset hic theoriarum furor, aut solam quoque sublimiorem pathologiam, neque contemplationes theoreticorum practicam medi-

medicinam plane incertam reddidiſſent, medicina ſine dubio manſiſſet eadem, qualis fuerat philoſophorum medicina ante Hippocratem. Explicabant philoſophi, Aſclepiadae morbis medebantur: nec philoſophia medicinam practicam, nec haec illam mutabat. Nunc vtraque per vtramque mutata: incerta omnia: curationum viae diverſae, contrariae, in vno morbo. Viro opus erat, qui haec theoreticorum dogmata ad exactius examen revocaret.

Caput XI.

Auctores ſectae empiricorum praecipui. Placita hujus ſectae.

§. 150. Idque fecit Philinus Cous, qui primum medicinam a rationali diſciplina abſcidit, occaſione ab Herophilo, praeceptore ſuo, accepta *y*): a Philino autem Serapion Alexandrinus in ea ſecta floruit *z*), quem primum omnium rationalem diſciplinam nihil ad medicinam pertinere eſſe profeſſum Corn. Celſus *a*) refert. Poſt hos viros Apollonii duo, pater & filius, Antiocheni, deinde Menodotus & Sextus ipſam hanc empiricorum ſectam accuratius ſtabiliverunt *b*). Praeter hos ad empiricorum ſectam contulerunt Criton *c*), Theutras *d*), Caſſius Pyrrhonius *e*).

y) Galen. introduct. ſ. medic. c. 4. p. 363. t. II.

z) Galen. introduct. ſ. med. c. 1. p. 360. t. II. cf. Gal. de ſubfig. empir. c. 13. p. 346. t. II.

a) Corn.

a) Corn. Celſus in praef. ad L. I. p. 3.
b) Galen. introd. ſ. med. cap. 1. p. 360.
c) Galen. de ſubſig. empir. c. 1. p. 340.
d) Galen. ibid. & cap. 13. p. 347.
e) Galen. de ſubf. empir. c. 2. p. 340.

§. 151. Principium omnis ſcientiae in medicina empiricis erat experientia, a qua et nomen duxerunt *f*). Haec ſola ad medicamenta pertinuit eratque cognitio autopſia comparata eorum, quae plerumque, & fere ſemper in iisdem, & pari modo contingunt *g*). Erat vero aut naturalis, per obſervationem eorum in humano corpore nata, a quibus ſalutem accipit, aut mala patitur, aut fortuita, quam caſus obtuliſſet, aut conſulta, ſi quis, quae in alio evenire viderat, tentaret, num experimento inſtituto etiam ita ſuccederent, aut imitatoria, ſi quae aliquando profuerant, in ſimili caſu quis adhiberet. Si ab iisdem ſaepius adhibitis conſtans effectus erat, praeceptum ex tali obſervatione natum theorema vocabant: eorumque theorematum collectio medicina erat, medicus vero, qui ea collegiſſet *h*).

f) Galen. introd. ſ. medic. c. 2. p. 361. t. II.
g) Galen. introd. ſ. med. c. 2.
h) Galen. de ſectis c. 2. p. 287. t. II. Convenit cum hac definitione quam Galenus exhibet def. medic. 15. p. 235. t. II. ἐϛιν ἡ ἐμπειρικὴ αἵρεσις τῶν πλειϛάκις, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως πῶς ἑωραμένων.

§. 152. Quum vero medicamenta proficua eſſe in eodem caſu, neque in omni morbo eadem, expe-

experientia doceret, ſpecies quaedam experientiae natae ſunt. Altera obſervatio erat, τήρησις, morborum, hoc ordine inſtituta, vt ſymptomate a cauſa manifeſta, a locis & a corporis poteſtate nata notarent *i*), ſimulque quae in certo ſymptomatum concurſu profuiſſent: Altera ſpecies experientiae erat, quam hiſtoriam appellaverunt *k*), quae morbis obſervandis, hiſtoriis morborum legendis, & effectui medicamentorum in his morbis obſervando, ponderando, ſtudebat. Haec in plurimis, ac ſaepe videndis, ac eodem modo ſe habentibus verſabatur: non ad morbos, neque ad eorum cauſam, ſed ſolum ad ſymptomatum concurſum reſpiciebat vt pateret, num caſus, in quo experientia certum medicamentum profuiſſe probaverat, adeſſet *l*). Hinc phaenomena non omnia obſervabant, ſed ea tantum, quae ad haec ducere putabant *m*). Praeter obſervationem & hiſtoriam aliam pathologiam non habuere.

i) Galen. de optim. ſect. c. 13. p. 309. 310.

k) Galen. de optima ſecta cap. 14. p. 311. t. II.

l) Galen. introd. ſ. medic. cap. 3. p. 362.

m) Galen. de optima ſecta cap. 9. p. 304. & c. 13. p. 309.

§. 153. Altera hiſtoriae empiricorum ſpecies erat eorum ſcientia, quae antea in morbis tentata fuerant ad eorum medelam. Duplex erat: aut enim propria obſervatione (§. 151.) diſcebatur, quid in certo ſymptomatum concurſu profit, quid

quid obſit, aut medicus, legendo curationum exempla, perſpiciebat, quid in alio ſymptomatum concurſu profuiſſet, quid obfuiſſet *n*). Hinc haec hiſtoria empiricorum, quam ſcientiam eorum dicebant, quae viſa, perſpecta eſſent, aut ceu perſpecta conſideranda, & circa ſymptomatum concurſum verſabatur, in quo medicamentum quoddam vtile extitiſſet, & circa medicamenti ipſius hiſtoricam cognitionem *o*).

n) Galen. introd. ſ. medic. c. 3. pag. 362. t. II.
o) Galen. de ſubfigurat. empir. c. 10. p. 343. t. II.

§. 154. Cognoſcendi principiis empiricorum hactenus enarratis Menodotus epilogiſmum addidit, ſenſum (§. 151.) ad cognoſcendi principia in medicina non pertinere adſerens *p*), ita vt hoc auctore duo tantum cognoſcendi principia empirici haberent, memoriam (§. 152. 153.) & epilogiſmum. Erat vero epilogiſmus empiricorum ratio eorum, quae ſenſui patent *q*). Hinc eo potiſſimum ad demonſtrationes vſi ſunt, quas vero nunquam ab abditis cauſis mutuati ſunt *r*). Analogiſmo, qui ſemper ad abdita ducit, adeoque dogmaticorum erat, vſi nunquam ſunt *s*).

p) Galen. de ſubfig. empir. c. 13. p. 346. t. II.
q) Galen. de ſubfig. empir. c. 10. p. 344. t. II. cf. Gal. de ſectis p. 289. t. II.
r) Tale exemplum demonſtrationis empiricorum exhibet Galen. de ſubfig. empir. c. 9. p. 344. t. II.
s) Galen. def. medic. 18. p. 136. t. II.

§. 155. Hos cognitionis medicae fontes ad morbos, qui ſaepius homines corripere conſuerunt, ſufficere quidem arbitrati ſunt. Quum vero morbi quoque poſſent exiſtere, mutata forma induti, aut inſolito ſymptomatum ordine ſtipati, aut denique novi, aliud, idque nobiliſſimum principium cognoſcendi, Serapione auctore *t*), apud empiricos natum eſt, ἡ ἀπὸ τῦ ὁμοίυ μετάβασις, ſive a re ſimili ad ſimilem tranſitus, quo ductus medicus, quae in ſimili affectu profuiſſe viderat medicamina, in alio, non quidem eodem, ſed ſimilitudinem cum eo habente, eadem adhibebat. Iſque tranſitus triplex erat, ab auxilio ad auxilium, a locis ad loca, ab affectibus denique ad affectus *u*). Non tamen omnes empirici huic tranſitui parem in medicina dignitatem tribuerunt. Viam ad inventionem vocabant eum, inventionem vero ipſam per experientiam fieri docebant *x*). Menodotus, qui vſui tantum medicinam accommodare volebat, ad medicinam hunc tranſitum neceſſarium eſſe non putabat, quod & dogmatici eodem vterentur. Eandem ſententiam Caſſius Pyrrhonius tuitus eſt. Theutras eum magis viam, qua exerceri poſſet medicus, quam cognoſcendi principium, aut, quod quidam putaverunt empirici, partem medicinae eſſe putavit *y*). Omnes vero reliqui empirici tranſitu a ſimili ad ſimile vſi ſunt ceu cognoſcendi principio. Hinc Glaucias hiſtoriam,

riam, ex autopſia & anamneſi (§. 151 – 153.) natam, epilogiſmum, & tranſitum ad ſimile τὴν τρίποδα τῆς ἰατρικῆς dixit.

t) Galen. de ſubſig. empir. c. 3. p. 341. t. II.
u) Galen. de optim. ſecta c. 16. p. 314. t. II. de ſubſig. empir. c. 11. p. 344. t. II. de ſectis c. 2. p. 286. t. II.
x) Galen. de ſectis c. 2. p. 286. t. II.
y) Galen. de ſubſig. empir. c. 3. p. 341. t. II.

§. 156. Medicinam in duas partes diviſerunt, finales nempe & conſtitutivas. Has principia ſua cognoſcendi (§. 151 – 155.) eſſe dicebant, illas practicae medicinae partes, in quibus tamen non convenerunt, aliis ſemioticen & therapevticen, aliis hygienen, aliis coſmeticen & phoneticen medicinae eſſe partes exiſtimantibus. Imo medicinam in tot partes diviſere, quot morbi ſunt. Fuiſſe empiricos medicos ad dentes, ad articulos, ad anum adeo, Galenus *z*) refert. Medicinae diviſio, quae apud eos valuit maxime, haec erat, vt vniverſam artem in ſemioticen, therapeuticen & hygienen dividerent. Therapevtice triplex fuit, diaetetica, pharmacevtica, chirurgica *a*).

z) Galen. de partib. artis medicae c. 1. p. 282. t. II.
a) Galen. de partib. art. medic. c. 6. p. 284. t. II.

§. 157. Haec itaque quatuor empiricis propria erant: 1) vt ad concurſum ſymptomatum reſpicerent, neque ad morbum, neque ad cauſas ejus, 2) vt in his concurſibus ea medicamenta tenta-

rent, quae obſervatio probatiora eſſe ad eos docuiſſet, 3) vt ad hoc hiſtoria ante tentatorum, & 4) tranſitu a ſimili ad ſimile vterentur *b*).

b) Gal. introd. ſ. medic. c. 3. p. 362. t. II.

§. 158. Intelligitur autem ex his, empiricos tantum ad medicamenta & ad morbos reſpexiſſe, & quae in ſano, aegrove ſtatu in corpore aguntur, ad medicinam non pertinere exiſtimaſſe. Hinc ſanorum anatomen ſupervacuam, morbo necatorum inutilem putabant *c*), quod vtramque nec ad obſervationem, nec ad hiſtoriam facere exiſtimabant. Naturam tamen partium, & quaenam ferrent medicamenta, diligenter explorabant *d*). Quaeſtionem de naturalibus actionibus ſupervacuam eſſe ideo contenderunt, quod incomprehenſibilis natura ſit *e*). Neque modum, quo in ſtatum morboſum tranſeunt actiones, neque ipſam hujus ſtatus naturam cauſasque interiores medici attentionem mereri.

c) Celſus in praef. ad Libr. I. p. 8.

d) Galen. de ſectis c. 8. p. 294. t. II. qui locus ad notatu digniſſimos pertinet.

e) Celſus ibid. p. 6.

§. 159. Pathologiam contra ſedulo coluerunt, & quidem auxilii in morbis ferendi cauſa (§. 151. 152. 153. 155): maxime hiſtoriam morborum & ſymptomatum concurſus, quod, quae in vno profuiſſe obſervaverant, in ſimili adhibebant (§. 155). Evidentes cauſas, vt neceſſarias, amplexi *f*), ad

easque

easque conſtituendas epilogiſmo vſi ſunt. Neque in his omnibus aberrarunt ab Hippocratis placitis, niſi quod contraria plane via ad medicinae in morbis cognitionem contendebant, quam Hippocrates elegerat. Medicinam morborum Hippocrates ex ipſorum cognitione deduxit, facilem eſſe morborum medicinam, iis ipſis, eorumque cauſis cognitis, exiſtimans. Empirici contra, a medicamentorum vſu procedentes, morbos cauſasque eorum manifeſtas medicamentorum potiſſimum cauſa cognoſcendos eſſe exiſtimarunt. Hippocrati et empiricis eadem plane medicina erat, morbo, cauſisque ejus manifeſtis commoda: idem ſemiotices, idem hiſtoriae morborum ſtudium: viae tantum, per quas vtrique ad eandem morborum & medelae ſcientiam perveniebant, diverſae *g*).

f) Celſus in praef. ad Libr. 1. pag. 6.

g) Quod docui in mea tractatione: Beyträge zur Geſchichte der Empiriker nach den Zeiten des Galenus, in Cl. Wittweri Archiv für die Geſch. der Arzneykunde Vol. I. p. 1. p. 31. ſeq.

§. 160. Voluiſſe empiricos tradere atque exercere medicinam, quae medicinae dogmaticorum plane eſſet contraria, ex hactenus dictis ſatis perſpicitur. Incerta, dubia erant apud dogmaticos omnia, ob contemplationum multitudinem, diverſitatem, difficultatem: neque in cauſis [illegible] non patentibus, vlla certitudo eſſe poterat empirici, certi amantes in medicina, neque [illegible]

in dogmaticos carentes, omnibus iis, quae ad abdita in medicina ducunt, adcoque vniverſa dogmaticorum medicina, repudiatis, ſoli obſervationi inhaeſerunt.

§. 161. Ipſa vero dogmaticorum medicina per empiricam mutata eſt. Utraque ſecta, quum non ſine invidia res ſuas ageret, factum eſt, vt, quod a partium acriore ſtudio abeſſe vix vnquam poteſt, vtraque pars a via, in qua veritas conſiſtit, aberraret. Empiricorum medicinam dogmatici, dogmaticorum empirici, falſam putabant: vias, quibus empiricorum ſecta ad medicamenta morborum invenienda vtebatur, dogmatici fugiebant, & contra. Et tamen morborum medela erat vtrique ſectae fere eadem. Dogmaticorum medicina, vtut plena contemplationum & opinionum de cauſis morborum generalioribus, practicam hactenus parum mutaverat: ad eruendum enim quid mutatum eſſet in morbis, dogmatici hiſtoria morborum eorumque, quae eos produxerant, vtebantur. Per hanc ad latentem cauſam redibant, cui dum medebantur, morbum cauſasque ejus manifeſtas tollebant.

§. 162. Etſi quidem dogmatici, hoc modo procedentes, abditam cauſam, ſuo ingenio excogitatam & per theoriam neceſſariam, ſemper ſuppoſuere in morbis, ideoque indicationes fecere morbi naturae minus convenientes, tamen, quod

quod mirandum eſt, morbos ſic curarunt, vt neque in diaeta, in qua veteres omnes operam poſuere maximam, neque in ipſis medicamentis morbo idoneis multa poſſint deſiderari. Contulit ad hoc medicamentorum major copia, per eamque eorum ſtudium auctum: contulere etiam ſine dubio empiricorum firmae ſtabilesque obſervationes, quibus dogmatici, vel inviti, in curationibus ſuis vſi ſunt.

Caput XII.

Rixae empiricorum cum dogmaticis. Utriusque ſectae per has mutata facies.

§. 163. Itaque poſt ſectae empiricorum exortum medici in duas pārtes diſceſſerunt, aliis rationalem diſciplinam profitentibus, aliis experientiam. Eodem tempore quoque vtraque ſecta nomina ſua obtinuit. Rationales medici λογικὲς, δογματικὲς, ἀναλογιϛικὲς, qui ab experientia nomen ducebant ἐμπειρικὲς, τηρητικὲς, μνημονευτικὲς ſeipſos appellavere *h*).

h) Galen. de ſectis c. 1. p. 286. t. II.

§. 164. Mox certamina inter vtramque ſectam nata ſunt, eaque cum partium ſtudio & invidia geſta. Dogmaticos empirici ſophiſtis aequiparaverunt *i*): empiricorum vero empiriam ab ἀπειρίᾳ nihil differre, dogmatici regeſſerunt *k*). Rationem dogmaticorum empirici ne probabilem quidem eſſe putarunt, & ſi probabilem, tamen

non veram: empiriam dogmatici inconſtantem, non ſufficientem, artis expertem dixere *l*).

i) Galen. in comm. II. in libr. Hipp. de natura human. p. 145. t. III.

k) Galen. de optim. ſecta cap. 9. p. 305. t. II.

l) Galen. de ſectis c. 5. p. 289. t. II. Argumenta dogmaticorum & empiricorum pro ſuis ſectis militantia optime expoſuit Corn. Celſus praef. ad L. I. pag. 3. ſeq.

§. 165. Non convenit enim vtraque pars in cognoſcendi principiis. Duo propria erant dogmaticis, analogiſmus & indicatio. Haec a morborum cognitione procedebant, eratque analogiſmus, quod ab evidente ortum ducit & latentis comprehenſionem facit *m*). Indicatio erat dogmaticis praeceptum curationis per abditae cauſae cognitionem natum *n*). Utrumque principium empirici non ſtatuebant, quod ad cauſas abditas aut duceret, aut ab iis prodiret.

m) Galen. def. medic. 18. p. 235. t. II.

n) Galen. de ſect. c. 3. p. 287. t. II.

§. 166. Dogmatici anatomen, abditarum cauſarum inquiſitionem, analogiſmum, indicationem & διαλεκτικὴν θεωρίαν in medicina neceſſarias eſſe putabant: empirici contra anatomen, quam caſus offert, vulnerum inſpectionem (τραυματικὴ θέα *o*) & habitus partium externi obſervationem non negligentes quidem, multis verbis, imo libris, in eam invecti ſunt, nihil per eam poſſe inveniri, nec, ſi quid inveniatur, ad artem eſſe neceſſarium exiſtimantes. Indicationem neque exiſtere, neque

neque medelam morbi ex abdita ejus cauſa cognoſci contenderunt: omnia enim ex ſeipſo eſſe cognoſcenda, nec dialectices artem vllam morborum medicinam deſiderare *p*).

o) Galen. de adminiſtrat. anat. L. II. c. 3. p. 49. t. IV.
p) Galen. de ſect. cap. 5. p. 289. 290. t. II.

§. 167. Dogmatici obſervationem (§. 152.) empiricorum impugnabant, quod nunquam paria ſimiliaque ſymptomata in morbis incidant, idem tempus eundemque ordinem ſervantia, quae tamen ad conſtantem obſervationem neceſſaria ſint, neque intelligi poſſit absque rationali diſciplina, quorum ſymptomatum obſervatio neceſſaria ſit *q*). Hiſtoriam (§. 152.) non eſſe fontem cognitionis in medicina ideo dicebant, quod diverſa de eodem morbo doceret, quae aut ratione, aut experientia eſſent dijudicanda. Non poſſe vero ea dijudicari per rationem, quam rejiciant empirici: ſi vero per experientiam dijudicanda ſit hiſtoria, ſuperfluam eſſe & inutilem. Neque ideo vtilitatem ab hiſtoria eſſe expectandam, quod omnia, quae ad genus ſymptomatum, numerum, magnitudinem & tempus pertinent, literis conſignari non poſſint *r*).

q) Galen. de optim. ſect. c. 11. & 13. p. 309. t. II.
r) Galen. de opt. ſect. c. 14. 15. p. 311—313. t. II.

§. 168. Tranſitum ad ſimile (§. 155.) his argumentis impugnarunt: Si ab omnibus ſymptomatibus tranſitus ſit, eum non poſſe exiſtere, quum

omnia ſymptomata perfecte eadem in nullo morbo occurrant: ſi a quibusdam, incertum eſſe *s*). Tranſitum ab auxilio ad auxilium ſi faciant empirici, hoc aut propter formam externam vtriusque medicamenti eandem fieri, eam vero formam parum aut nihil docere, aut propter reſpondentes ſibi in vtroque remedio facultates, quae non ſine rationis vſu eruantur *t*). Tranſire tandem quoque empiricos ab oppoſito ad oppoſitum, ſimilibus omnibus in ſimili morbo incaſſum tentatis *u*): hunc vero tranſitum ſumme conjecturalem eſſe.

s) Galen. de opt. ſect. c. 10. p. 307. t. II.

t) Galen. de opt. ſect. c. 16. p. 314. t. II.

u) Galen. de ſubſig. empir. c. 11. p. 344. t. II. cf. de opt. ſect. c. 19. t. II.

§. 169. Indicationes ad morborum medelam inveniendam, quibus dogmatici vtebantur (§. 165), penitus cum fugerent empirici, hi morbis hoc modo ſemper medebantur, vt, quae obſervatio aut hiſtoria in morbis conferre docuiſſet, ea in ſimilibus adhiberent. Idque dogmaticis ſumme diſplicuit, exiſtimantibus curationem morborum non inveniri absque indicatione poſſe, neque hanc ſine cognitione naturae, virium corporis, poteſtatum, cauſarum corpora afficientium *x*): quae omnia empirici ad medicinam non prodeſſe exiſtimaverunt.

x) Galen. de ſectis c. 3. p. 287. t. II.

§. 170. Quae tamen ſumma diverſitas vtriusque ſectae in medicamentis ad morbos inveniendis non

non effecit, vt alia dogmaticorum, alia empiricorum practica medicina eſſet. Curationem eorundem morborum per easdem curandi vias eademque medicamenta vtramque ſectam tentaſſe Galenus *y*) refert. (vide quoque §. 161. 162.)

y) Notatu digniſſimus eſt locus Galeni de ſectis c. 5. p. 291. t. II. quem adſcribam: *τοιαῦτα μυρία πρὸς ἀλλήλας ἐρίζουσιν Ἐμπειρικοί τε καὶ Δογματικοὶ, τὴν θεραπείαν ἐπὶ τῶν αὐτῶν παθῶν τὴν αὐτὴν ποιούμενοι, ὅσοι γε νόμῳ καθ' ἑκατέραν τὴν αἵρεσιν ἤσκηνται.*

§. 171. Et hae ipſae rixae (§. 163—170.) vtrique ſectae parum vtiles fuerunt. Effecerunt enim, vt in contentionum hac acerbitate, amplificandae ipſi ſcientiae operam vix vllam darent. Ipſi adeo empirici epilogiſmo (§. 154.) & tranſitu a re ſimili ad ſimilem (§. 155.) minus vtebantur, quoniam vtrumque hoc cognoſcendi principium tueri contra argumenta dogmaticorum vix poterant, neque vllo modo communem cum dogmaticis viam ingredi videri volebant. Aetas dogmaticorum, quae ante empiricae ſectae exortum ferax contemplationum fuerat, poſt eum novas non tulit, vſque ad Aſclepiadis tempora. Nec ab vtraque ſecta, ad haec vſque tempora, aliquid novi in medicina inventum eſt.

§. 172. Medicamentorum copia per empiricos aucta, diligentiorque obſervatio quid efficerent, & in quo morbo prodeſſent, per empiricorum medicinam nata, in dogmaticorum medicina hanc muta-

mutationem effecit, vt, quae antea medicamentis minus copioſis, vix multum moventibus, & in acutis morbis maxime diaeta fuerat vſa, nunc, empiricorum more, crebrioribus valentioribusque medicamentis vteretur. Contulit ad eundem crebriorem medicamentorum vſum is ordo in tractanda medicina, qua medicamentorum doctrina ceu pars medicinae practicae conſiderabatur (§. 142). Adeoque, vel invitis dogmaticis, practica medicinae eorum pars ad empiricam acceſſit. Morborum latentes origines & indicationes ad ſectae ſuae mentem eruebant: medicamenta, quae empiricorum obſervatio probatiora experta fuerat, adhibebant.

§. 173. Venenorum & antidotorum ſcientia his temporibus valde dilatata eſt. Nota erant antiquioribus temporibus venena atrociſſima quidem, conii, quo Socrates periit, exemplo: venenum dare medicis per jusjurandum Hippocratis non licebat, neque peſſum foetum corrumpentem mulieris vulvae inferre z): attamen antiquiores medici venenorum raram, ſi vllam vnquam, mentionem fecerunt, neque in libris Hippocratis vllam veneni mentionem eſſe factam, niſi in jurejurando, memini. Eaedem cauſae, quae vſum medicamentorum crebriorem reddiderunt, medicos quoque incitaſſe videntur, vt in venena & antidota diligentius inquirerent. Acceſſit iisdem cauſis Alexandri, deinde Romanorum dilatatum

tatum in has terras imperium, in quibus atrociora & crebriora venena provenire ſolent. Denique veneficia per Graecorum, Romanorum luxuriam, bella, odia aucta effecere, vt venenis praecavendis, datisque curandis major opera impenderetur.

z) Hipp. iusjurand. p. 43. t. I. ed. Lind.

§. 174. Venenis & antidotis principes viri ſtuduerunt. Attalici Pergameni reges, vt Ptolemaei Aegyptii, amore ſcientiarum ducti, non ſolum libris vndique conquiſitis bibliothecas condiderunt, quae, ſi non ad amplificandam medicinam, ſaltim ad priſcae doctrinae monumenta conſervanda contulerunt, ſed etiam ipſi experimenta circa res medicinales inſtituerunt, aut inſtituta ab aliis auctoritate, conſilio, adjuvarunt. Aegyptii reges ad anatomen multum contulerunt. (§. 132.) Venenorum experimenta, quum ad evitandum periculum eorum conferrent vitamque redderent tutiorem, eo diligentius facta ſunt, quo major mortis a veneficio metus erat. Claruit his experimentis Attalus Philometor, Pergamenorum regum vltimus, qui venenorum vegetabilium per experimenta cognoſcendorum ſtudio tantum inhaeſit, vt nomen ejus non ſine crudelitatis nota quadam ad nos pervenerit *a*). Eumque in his juviſſe dicitur Nicander Colophonius, qui heroico verſu de venenis ex animalibus (θηριακὰ) & de venenorum medicamentis ſcripſit, quod vtrumque poema ad nos pervenit. Magnus,

quae

quae ab eo enarrantur, venenorum, & infinitus paene medicinarum ad venena numerus, quantopere ejus temporibus venenorum ſcientia fuerit agitata, docent.

a) Galen. de antidotis L. I. c. 1. p. 865. t. XIII.

§. 175. Eadem venenorum & antidotorum ſcientia Mithridates, Ponti rex, claruit. Experimentis in capite damnatis inſtitutis venenorum & antidotorum vim didicit. Victus tandem cum eſſet a Cn. Pompejo, qui omni regia praeda potitus eſt, venenorum ſcientia ad hunc tranſiit, qui Lenaeo liberto, quae conſignaverat Mithridates de his rebus, colligenda & in latinam linguam vertenda tradidit. Cum hoc herbarum ſcientia ad Romanos tranſiit vulgataque ab eo antidotus Mithridatis eſt, quam ſi quis jejunus ſumſiſſet, venenum eo die non nociturum putabatur. Conſtabat autem duabus nucibus ſiccis, ficubus totidem, rutae foliis XX & ſalis grano *b*).

b) cf. Plin. Libr. XXIII. c. 8. Libr. XXV. c. 2. Q. Seren. Samonic. cap. 61. v. 1069. vbi vid. a me notata. cf. Morgagni epiſt. I. in Seren in opuſc. miſcellan. part. I. p. 103. De alia antidoto Mithridatica vid. Plin. L. XXIX. cap. 1. De theriaca Mithridatis cf. Galen. de antidot. L. I. c. 1. p. 865. tom. XIII. Antidotos varias Mithridatis deſcripſit Galen. de antidot. L. II. c. 8. p. 910. c. 10. p. 915. t. XIII. & in permultis locis aliis.

Caput XIII.

De celebrioribus quibusdam empiricis et his, quae a secta empiricorum sunt praestita.

§. 176. Nunc medicos empiricos celebriores, praeter jam dictos (§. 150. 154. 155.), persequar. Eminent in his Manteias, Herophili auditor, & quem Manteias auditorem habuit, Heraclides Tarentinus. De Manteia auctores parum scripserunt: fuit autem princeps suae sectae atque praecipuus auctor, primusque omnium, qui de medicamentis, & simplicibus, & compositis, accurate scripsit. Pertinuit Galeni adhuc temporibus ad probatissimos de hoc argumento scriptores *c*).

c) Galen. de simplic. medic. facult. L. VI. proem. p. 144. t. XIII. de composit. medicam. per genera L. II. c. 1. p. 672. t. XIII.

§. 177. Summam fere inter empiricos laudem consequutus est Heraclides Tarentinus, quem minus sectae suae, quam veritatis amantem Galenus *d*) dicit, qui nihil in libris suis scripserit, nisi quod ipse vidisset comprobatum, quem Caelius *e*) empiricorum principem & omnium maxime probandum vocat, & quem solum inter empiricos dignum refutatione censuit. Hic in diaeta praeceptorem suum sequutus est, eamque summe severam praecepit *f*).

d) Galen. in comm. III. in Hipp. de artic. tom. XII. pag. 396.

e) Acu-

e) Acutor. Libr. I. c. 17. pag. 64. seq. L. IV. c. 4. p. 195. seq.

f) Corn. Celsus L. III. c. 15. pag. 114.

§. 178. Etsi dogmaticorum subtilitatibus plane adversabatur, neque adeo definitiones, sed rerum descriptiones succinctas, pro sectae suae more, exhibebat, quarum exemplum Galenus servavit *g*), laudatus tamen a dogmaticis est, quia praeter Manteiam primus bene de simplicium medicamentorum facultatibus & de compositionibus medicamentorum scripsit, neque de medicamentis loquutus est, nisi de validis, quorum vim ipse expertus esset, omissis minus validis, iisque, quae dubios effectus praestiterant *h*). In medicamentis compositis scribendis Manteiam praeceptorem imitatus est *i*).

g) Galen. de different. puls. L. IV. c. 3. t. VII. p. 88.

h) Galen. de simplic. medic. facult. L. VI. proem. t. XIII. p. 144. cf. de composit. medicamentor. per genera L. II. c. 5. t. XIII. p. 685.

i) Galen. de composit. medic. per gen. L. II. c. 1. p. 672. t. XIII.

§. 179. Magnam, praeter hos, quos memoravi (§. 176—178), medicamentorum experientiam habuere librosque de iis scripsere Crataevas *k*), Heras Cappadox *l*). Alios empiricos minoris famae, Glaucum, Dionysium, Critonem, Herodotum, Sextum, Saturninum, Calliclem, Diodorum, Lycum, Clericus *m*) citat.

k) Galen.

k) Galen. de ſimplic. medic. facult. L. VI. proem. t. XIII. p. 144.

l) Celſ. L. V. c. 22. n. 3. p. 223. c. 28. n. 4. p. 264. Galen. de compoſit. medic. per gener. L. III. c. 9. t. XIII. p. 731.

m) Hiſt. de la medecine P. II. L. II. c. 7. & 8.

§. 180. Nunc enarrandum eſt, quid in vniverſa medicina mutaverint empirici probatiores, quod difficile eſt, quoniam empiricorum libri omnes interierunt. Dogmaticorum quidem medicina, quae circa latentia verſabatur, nihil vtilitatis per empiricos accepit: medicina per eos tantum dilatari potuit, ad cujus cognitionem per iſtas vias pervenire licet, quibus empirici vſi ſunt (§. 151—156). Hiſtorias morborum perfectiſſimas compoſuerunt, quod partim patet ex (§. 150—153) dictis, partim ex excerptis, quae Caelius ex Heraclidis Tarentini libris dedit, quae ſolae prolixiores librorum hujus ſectae ſunt reliquiae. Morbos ſecundum ſymptomata indicationes dirigentia optime diſtinxerunt. Phrenitidis curatio integra, quam Caelius ex Heraclide exhibet *n*), nec non ſynanches *o*), ileï *p*), cujus fragmenta idem auctor producit, tali modo inſtitutae ſunt, vt neſcias quid magis mirere, an accuratam morborum, quoad cauſas, quae eos effecerunt, diſtinctionem, an ſcita commodaque medicamenta ad eosdem. Phrenitidem in inflammatoriam, quam optime, etiam per localia medicamenta, curandam praecepit, gaſtricam, per vomitum & alvi

fluxum curandam, & a vitio locali in cerebro ortam diviſit Heraclides. Synanchen aliam eſſe dixit, quae ab inflammatione, cauſam in locis ipſis affectis habente, & quae a ventriculi ſordibus proficiſcitur. Ileum inflammatorium & a ſtercorum collectione ortum, cognitiſſimos habebat ſingulisque his morborum ſpeciebus diaetam & medicamenta maximo ſtudio accommodabat.

n) Cael. acutor. L. I. c. 17. p. 64.
o) Cael. acutor. L. III. c. 4. p. 195.
p) Cael. acutor. L. III. c. 17. p. 246.

§. 181. Quibus cognitis, vix quisquam dubitare poterit, quin empirici rectam in curandis morbis viam ſint ingreſſi. Latentes cauſae, eaedem, quas proximas noſtra pathologia dixit, ad ſcientiam medici pertinent quidem, ſed non ad artem, qua is morbis medetur. Illam empirici medico non neceſſariam, hanc ſumme neceſſariam eſſe putarunt. Et haec ars in eo conſtitit, vt in ſymptomatum concurſu eo, quem ex longa obſervatione ita evenire comperti erant, (morbum vocabant) diviſione ſymptomatum facta in cognata morbo, ſeu eſſentialia, & affinia *q*), per vtrumque hoc ſymptomatum genus, maxime tamen per cognata, quod laeſum eſſet in morbo, adeoque per medicamenta curandum, eruerent, eoque modo morbis medicinam ſumme commodam facerent.

q) Galen. de ſubſig. empir. c. 6. p. 342. t. II.

§. 182.

§. 182. Si itaque errarunt empirici, dicentes philoſophum ibi debere incipere, vbi medicus deſinat, vix tamen eos erraſſe quoad modum, quo curationes invenerunt, quoque ipſos morbos curaverunt, putandum eſt. Si enim dogmaticorum, mox in hanc, mox in illam curandi viam tranſeuntium placita cum empiricorum firmis ſtabilibusque curationibus confero, meliores, probatiores, feliciores empiricos fuiſſe video, tam exigua praxeos eorum monumenta ad nos perveniſſe vehementer doleo. Quae deprehenderunt in morbis, manifeſta, efficaci medicina, quam vſus probaverat, debellarunt, *r*) vt vomitu, per methodicos adeo taxato, ſynanchicos curarunt. Opio & aliis narcoticis crebrius vſos eſſe empiricos, Clericus *s*) putat: at antiquiores eadem crebro adhibuere. Medicamenta Heraclidem Tarentinum adhibuiſſe, quae India, calidiorque Arabia fert, notandum eſt, cinnamomum, piper longum, coſtum, carpobalſamum, opobalſamum *t*).

r) cf. Cael. acutor. L. II. c. 38. p. 174. acut. III. c. 4. p. 195. & ſaep.

s) hiſt. de la med. P. II. L. II. c. 7. p. 374.

t) Galen. de compoſ. medicam. ſec. loc. L. VII. cap. 2. confect. 17. t. XIII. p. 534. L. X. c. 1. p. 628.

MEDICINAE ANTIQUAE

PERIODUS IV.

SECTA METHODICORUM.

CAPUT XIV.

Epicuri ſyſtema philoſophicum in medicinam illatum.

§. 183.

Empiricorum medicina, etſi, quod infra exponam, in deteriorem ſtatum pervenit, tamen non ſine taedio ad novam rationalis medicinae formam transgredior, quae vniverſam quidem theoriam mutavit, practicam vero, ſi non intactam reliquit, tamen, quod in ſalutem hominum factum eſt, vel leviter tetigit. Ejus initia ab Epicuro repetenda ſunt.

§. 184. Vixit ab Olympiad. CIX vſque ad Olympiad. CXXVII *u*) Epicurus, vir optimus, ſectae nobiliſſimae princeps. Hic, vt omittam reliquam ejus philoſophiam, Democritum in hac τῆς φυσιολογίας parte ſequutus eſt, quae ad naturalium corporum origines ſpectat *x*), & tali modo philoſophatus eſt: Corpora alia eſſe concretiones (συγκρίσεις), alia ex concretionibus facta: concretiones ex atomis fieri *y*), haec vero eſſe indiviſibilia (ἄτομα) & immutabilia, nec diſſolvi poſſe,

poſſe, nec vnquam interire. Haec atoma infinita eſſe in vnaquaque figura, moveriqùe per vacuum, & ſolitaria, & inter ſe juncta, perpetuo, niſi alia, contrarium motum habentia in eodem vacuo, ipſis reſiſtant: qualitatem vero nullam habere, praeter figuram, magnitudinem, gravitatem, & expertia coloris eſſe, quem tamen varium, pro diverſa compoſitione, nanciſcantur, vbi in concretiones aut corpora tranſierint. Mundum hinc infinitum eſſe, ex infinitis quippe & immutabilibus atomis compoſitum z).

u) Apollodorus Epicureus apud Diog. Laert. L. X. ſegm. 14. p. 610. ed. Amſtel. 1692. 4.

x) Apollodor. apud. Diog. Laert. L. X. ſegm 3. p. 604.

y) τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται. Quae verba ipſius Epicuri ex epiſtola ejusdem ad Herodotum, vid. Diog. Laert. L. X. ſegm. 42. p. 621. diligenter notanda ſunt ad intelligendum ipſius, & Aſclepiadis adeo ſyſtema.

z) vid. Diog. Laert. L. X. ſegm. 35. p. 618. ſeq. cf. de Epicuri doctrina Lucret. de rer. natur. Sext. Empir. adv. mathemat. L. IX. Petr. Gaſſendus de vita & moribus Epicuri Libr. VIII. Hag. Comit. 1658. 4. Brucker inſtit. hiſt. philoſoph. Per. I. part. poſt. L. II. cap. 13. §. 8. p. 268.

§. 185. Etſi de modo, quo ſe habere putaverit haec atoma in concretionibus & corporibus ab iis factis Epicurus, non ſatis conſtat in tanta difficultate, qua vniverſa ejus philoſophia laborat & jam apud ipſos veteres laborabat, ſubtiliora

tamen atoma motu in corporibus agitari continuo exiſtimavit. Animum atomis talibus, & ſubtilioribus quidem, conſiſtere, adeoque corporeum eſſe, verum nunquam interiturum, docuit, ſed animum imperare corpori, ſi animi atoma per omnem ſyncriſin diſſeminata in corpore vagentur *a*). Per eundem atomorum motum vertiginesque corporum naturalium incrementa, mutationes, caet. explicuit *b*).

a) Diog. Laert. L. X. ſegm. 66. p. 630.

b) Epicurus in epiſt. ad Pythoclem, apud Diog. Laert. L. X. ſegm. 90. p. 641.

§. 186. Neque has doctrinas (§. 184. 185.) ad medicinam applicaviſſe Epicurum incredibile eſt. Scripſit enim περὶ νόσων δόξας πρὸς Μίθρην *c*), quarum vero tantum titulus ad nos pervenit. Per attractionem atomorum, per eorum figuram & propenſionem ad ingrediendum in poros Epicurum digeſtionem, excrementorum ſecretionem & actionem medicamentorum in corpore animali explicaviſſe, Galenus *d*) refert.

c) Diog. Laert. L. X. ſegm. 28. p. 615. ed. Amſtel. 1692. 4.

d) Galen. de natural. facult. L. I. c. 14. t. V. p. 22.

§. 187. Quod ſyſtema, etſi ab ipſo Epicuro, qui ſectatores habuit plurimos, in iisque, inter antiquiores, Metrodorum medicum, ad ſani aegrique corporis naturam fuit applicatum, in medicina tamen nullas mutationes effecit, donec Aſclepiades per id vniverſam medicinam mutavit.

CAPUT

CAPUT XV.

Aſclepiades.

§. 188. Durabat enim antiquitas firma, vſque dum aetate M. Pompeji Aſclepiades, Bithynius, orandi magiſter, nec ſatis in ea arte quaeſtuoſus, ad medicinam ſe repente convertit, atque torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdicavit *e*). Sagaciſſimus vir, Mithridati, Ciceroni, commendatiſſimus, vniverſum prope humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quam ſi caelo emiſſus adveniſſet *f*).

e) Plin. Libr. XXVI. cap. 3.

f) Plin. Libr. VII. cap. 37.

§. 189. Novam ſectam condidit, eamque, etſi ad dogmaticorum diſciplinam referendam, plane tamen ab omnibus, quae dogmatici poſt Hippocratem ad haec vſque tempora docuerant, abhorrentem. In theoretica medicinae parte Epicurum ſequutus eſt *g*). Medendi rationem magna ex parte mutavit, in eaque Cleophanti praeceptis in primis adhaeſit *h*).

g) Atomos Epicuri moles (ὄγκοι), vacuum vero ejusdem philoſophi meatus (πόροι) dixit. vid. Galen. de theriac. ad Piſon. c. 2. Diſceſſiſſe in hoc ab Epicuri ſententia multi dixerunt, ſed in eadem ſententia fuit, qua Epicurus, qui ex atomis ſyncriſes, ex his corpora naſci putabat (§. 184.) Syncriſes vero Epicuri *οἱ ὄγκοι* Aſclepiadi erant.

h) Corn. Celſus praef. ad L. I. p. 3. L. III. c. 14. pag. 112.

§. 190. Primordia corporum omnium Aſclepiades ſtatuit eſſe atomos, corpuſcula ſenſu praedita *i*), reliqua qualitate omni, corporibus communi, carentia, ſempiterno motu gaudentia, quae concurſu inter ſe facto in infinita partium fragmenta ſolvantur, magnitudine & figura differentia. Quorum conjunctionem corpora ſenium & vim mutationis in ſemetipſis habentia efficere exiſtimavit, aut per magnitudinem, aut copiam, aut figuram, aut ordinem *k*).

i) Intellectu ſenſa dixit Caelius, acut. L. I. c. 14. p. 41.

k) Caelius acut. L. I. c. 14. qui ſyſtema Aſclepiadis pleniſſime expoſuit. Galen. comm. I. in III. epid. Hipp. aegr. I. p. 205. t. IX. de different. morbor. c. 2. p. 2. t. VII de theriaca ad Piſon. c. 2. p. 932. t. XIII. de elementis L. I. c. 2. p. 368. t. II. introd. ſ. medic. c. 9. t. II. p. 368.

§. 191. Ex complexione harum atomorum vias fieri ſenſu praeditas, magnitudine atque ordine differentes, per quas humores ſi currant nullo impedimento intercepti, ſanitatem exiſtere arbitratus eſt: morbos vero, ſi ob corpuſculorum interceptionem humores in curſu ſuo intercipiantur *l*).

l) Priorem ſtatum *συμμετρίαν*, alterum *ἀμετρίαν* dixit Aſclepiades. vid. Gal. de meth. medendi L. IV. c. 4. t. X. p. 91. cf. Caelius acutor. L. I. c. 14. p. 42.

§. 192. In curſu vero intercipi humores docuit, 1) ob corpuſculorum manantium magnitudinem, 2) ob ordinem (ſchema dixit Caelius) minus

minus convenientem, 3) ob multitudinem, 4) ob motum celerrimum. Eandem quoque interceptionem naſci, ſi viae nimis amplae fiant, (fluxum viarum dixit Caelius) & ſi viae praecludantur per alias easque majores moleculas, quas ſquamulas dixit Caelius, imperviae factae *m*).

m) Caelius acut. L. I. c. 14. p. 42.

§. 193. In morbis explicandis ea, quae in aegris apparent, non reſpexit *n*). Morbos omnes a locorum, aut viarum, per quae corpuſcula manant, differentia deduxit, ita vt tria ſumma genera morbórum ſtatueret, 1) eos, qui accidunt, ſi corpuſcula manantia in viis intercipiantur atque ſtagnent, quo modo phrenitidem *o*), lethargum, pleuritidem, febrem vehementem, oriri docuit. 2) Qui ob magnitudinem aut raritatem viarum accidant. Sic bulimum ex magnitudine viarum ventriculi & inteſtinorum alimentari materiae recipiendae deſtinatarum oriri, raritatem vero viarum laxitatem & colliquationem inducere exiſtimavit, & hydropem oriri docuit *perforatione carnis in parvam formulam viarum, quae poſſit ſolida corporis nutrimenta inaquare.* 3) Ultimum genus a liquorum & ſpirituum turbatione naſci exiſtimabat *p*). Haec omnia ita propoſuit, vt activas morborum cauſas non in humoribus exiſtere, verum occaſionales tantum, morborum tamen origines a plenitudine juvari exiſtimaret *q*).

n) Galen. de nat. facult. L. I. c. 14. t. V. p. 23.

o) Caelius acutor. L. I. pag. 2.
p) Caelius acut. L. I. c. 14. p. 42.
q) Caelius ibid. p. 44.

§. 194. Animum ex ſubtiliſſimis atomis compoſitum eſſe docuit, ſicut Epicurus (§. 185), eumque ſenſuum omnium collectionem dixit. Hinc animum in quadam corporis parte reſidere negavit, ſed omnem corporis partem, ſenſu praeditam, animum continere docuit *r*).

r) Caelius acut. L. I. c. 14. p. 45. Galen. def. medic. 99. t. II. p. 243.

§. 195. Cum omnia ab atomis deduceret ordine ac compoſitione rectis aut minus rectis per vias manantibus, nullum quidem earum mutuum attractum, quem Epicurus exiſtere docuerat, ſtatuit, attamen propenſionem quandam ad ingrediendum in poros, per eosque meandi, natam a juſta atomorum inter ſe & cum meatibus proportione *s*), qua vitiata morbos mox naſci putavit. Quomodo morborum origines explicaverit, incertum quidem eſt, typum tamen quotidianae febris maximorum, tertianae minorum, quartanae minimorum corpuſculorum manantium ſtagnatione in meatibus explicaviſſe Caelius *t*) refert: Celſus vero *u*) inflammationem naſci, ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt.

s) Galen. de nat. facult. L. I. c. 14. t. V. p. 22.
t) Cael. acut. L. I. c. 14. p. 42.
u) Celſ. praef. ad L. I. p. 4.

§. 196.

§. 196. Naturam nihil aliud eſſe, quam corpus ejusque motum, docuit: hinc hanc & prodeſſe poſſe in morbis, & nocere. Naturam itaque ad morbos curandos parum valere, neque curationes morborum ſua ſponte venire, ſed opportunitatem earum ab artifice quaerendam eſſe. Criticos dies in morbis negavit, legitimaque tempora, quibus morbi ſolvantur. Neque per criſin ſemper aliquid mutari, neque ſi mutatio ſequatur, eam ſemper bonam eſſe, adſeruit *x*). Impares quoque dies pāribus pejores eſſe non putavit, nec ſecundum eos diaetam eſſe ordinandam *q*).

x) Celſus Libr. III. c. 4. p. 94. Caelius acut. L. I. c. 14. p. 43. Galen. de criſib. L. III. c. 8. p. 439. t. VIII. de natur. facult. L. I. c. 14. t. V. p. 22.

y) Celſus Libr. III. c. 4. p. 96.

§. 197. Cibos in ventriculo ſola ſolutione in alimentum converti docuit, ita vt ſoluti, neque vllo alio modo mutati cibi per ſingulas corporis partes eant. Hinc qualitates ſenſibiles alimenta non habere, ſed per vias receptaculorum nutrimenti arterias, nervos, venas, carnem, fieri *z*). Appetitum ad cibos naſci meatuum ampliorum cauſa: ad potum, ſi parvi meatus vacui ſunt. His principiis inhaerens, & ad ſanitatem plurimum conferre putans, ſi meatus eſſent corpuſculis manantibus pervii (§. 191.), in diaeta ſanorum vitae varietatem ſummopere commendavit, ſanisque aquam bibere frigidam & frigida lavari vehe-

vehementer convenire dixit. Eo hinc auctore balneorum vſus Romae potiſſimum invaluit. Primum penſili balinearum vſu hominibus ad infinitum blanditum eſſe Aſclepiadem, Plinius refert *a*).

z) Caelius acut. L. I. c. 14. p. 44.
a) Plinius L. XXVI. c. 3.

§. 198. Summum hinc, cum ſanitatis praeſidium, tum omnium morborum medelam, in diaeta eſſe ſtatuit: medicamentorum enim vſum hanc ob cauſam ſuſtulit, quod omnia fere medicamenta ſtomachum laedere malique ſucci eſſe putabat *b*). Hinc ad victus rationem omnem ſuam curam tranſtulit, quinque res maxime omnium auxiliorum eſſe profeſſus, abſtinentiam cibi, alias vini, fricationem, ambulationem, geſtationem *c*). Trahebat mentes artificio mirabili, vinum promittendo aegris dandoque tempeſtive, tum aquam frigidam: ipſe cognominari ſe frigida danda praetulit *d*). In eorumque omnium parte plurima Eraſiſtratum (§. 139.) ſequutus eſt.

b) Celſus in praef. ad L. V. p. 194.
c) Plin. Libr. XXVI. c. 3. Celſus L. II. c. 14. p. 69.
d) Plin. L. XXVI. c. 3. vbi vid. interpretes, praeſertim Harduinum.

§. 199. Ad famam Aſclepiadis augendam permultae res contulerunt. Romae degebat tempore, quo rei publicae gloria ſummum faſtigium attigerat, quo Romanorum divitiae, luxuria, &

in

in medicos, qui ſcientiam ſuam ex Graecia Romam detulerant, odium creverat. Hic vero, quod Romae ex rhetore medicus factus erat, ſua omnia Romae inveniſſe, adeoque Romanorum medicinam Romanis facere videbatur. Famae praeterea ſuae ſerviebat, principes in re publica viros amicos habebat, &, quod ad exiſtimationem medicorum augendam non raro efficaciſſimum eſt, qui jam curationum ſuarum gloriam quandam conſequuti ſunt, omnibus contradixit, alios omnes de morbis peſſime ſenſiſſe eosdemque peſſime curaſſe palam profeſſus eſt. Hippocratis & veterum aliorum medicationes mortis meditationes vocavit *e)*. Maxime vero poſt mortem claruit, ſponſione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi vnquam invalidus ullo modo fuiſſet ipſe: & victor ſuprema ſenectute lapſu ſcalarum exanimatus eſt *f)*.

e) Galen. de venaeſect. adv. Eraſiſtr. c. 5. t. X. p. 397.
f) Plinius L. VII. c. 37.

§. 200. In morborum curatione hoc tenuit, vt cito, tuto & jucunde curaret *g)*. Morbi ejus tempore novi homines exercebant, hydrophobia & elephantiaſis, quorum curationem num tentaverit incertum eſt *h)*. Vomitum, purgationem, ex extenuantium claſſe quidem *i)*, ſed non penitus rejecit *k)*: purgantia vero medicamenta, quae antiquior erat curandi ratio, certum humorem non educere, ſed, quem attigerint, immutare arbitratus eſt *l)*.

g) Cel-

g) Celſus L. III. c. 4. p. 93.
h) Plutarch. in conviv. ſeptem ſapient. L. VIII. probl. 9.
i) Celſus L. I. c. 3. p. 22.
k) Celſus L. III. c. 4. p. 94.
l) Galen. de purgant. medic. facult. c. 1. t. X. p. 463. de elementis L. II. c. 3. t. III. p. 28. cap. 4. p. 29.

§. 201. Febre vero ipſa praecipue ſe ad remedium vti profeſſus eſt. Convellendas etiam aegri vires putavit luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic vt ne os primis diebus elui ſineret. Quo magis falluntur, qui per omnia jucundam ejus diſciplinam fuiſſe contendunt. Is enim vlterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriae ſubſcripſit, primis tortoris vicem exhibuit *m*). Hinc vbi per triduum aegros per omnia fatigaverat, quartum diem, inclinata febre, cibo deſtinavit *n*). In quibusdam febribus abſtinentiam longiorem, ad ſeptimum vſque diem, praecepit *o*). Geſtatione, etiam in penſili lecto, in recenti vehementique febre vtebatur *p*). Frictione quoque ad multos morbos, & ad febres, imo ad ſomnum phreniticis conciliandum, vſus eſt, neque dubitari poteſt, Celſo *q*) referente, quin latius & dilucidius vbi & quomodo frictione vtendum eſſet praeceperit. Inclinata febre, vt plurimum poſt tertium diem, vinum febricitantibus dabat.

m) Celſus L. III. c. 4. p. 94.
n) Celſus L. III. c. 4. p. 94. 95.
o) Caelius acut. L. I. c. 14. p. 43.
p) Celſus L. II. c. 15. p. 71.
q) Celſus L. II. c. 14. p. 69.

§. 202.

§. 202. Omnibus, qui dolore laborabant, venam ſecuit, reliquis, imo phreniticis, venae ſectione interdixit *r*). Cardiacos vehementibus clyſteribus curavit, dein vino refecit *s*). In alvi fluxu frigidiſſimam dedit *t*). Hydropicorum aquas eduxit, abdomine perforato. Synanchicos curavit arteria inciſa & fiſtula in eam immiſſa. Phrenitidis curationem ab eo praeceptam Caelius *u*) fuſe propoſuit, qui quoque aliorum morborum curationes ab Aſclepiade praeceptas ſubinde enarravit.

r Caelius acutor. L. I. c. 14. p. 43.

s) Caelius ibid.

t) Celſus Libr. IV. c. 19. p. 184.

u) Caelius acutor. L. I. cap. 15. p. 45. ſeq.

§. 203. Haec fere ſunt (§. 188—202.), quae de Aſclepiadis placitis ad nos pervenerunt. Syſtemati ejus, quod difficultate non vna laborabat, tot medicos eſſe adſenſos temporibus, quibus empiricorum ſecta dogmaticorum errores tanta ſeveritate extricaverat coargueratque, vtique mirum eſt: & magis ideo, quod per id methodicorum medicina longe celeberrima primordia ſua duxerit. Id luxuriae Romanorum, eorum in Graecos, & quae Graeci in terris ſuis invenerant, odio, eique Aſclepiadis ingenio, quo moribus, voluntati atque voluptatum deſiderio Romanorum ſerviebat, tribuendum eſt *x*).

x) De

x) De Aſclepiade vid. Fabric. bibl. Graec. L. VI. c. 9. n. 4. Vol. XIII. p. 87. Plures medicos, qui Aſclepiadis nomen habuere, vid. apud Reineſ. epiſt. ad Rupert. p. 395. Diſcipulos & ſectatores Aſclepiadis enarrant Fabricius bibl. Graec. Vol. XIII. p. 88. & Clericus P. II. L. III. c. 11. p. 421.

Caput XVI.

Sectae methodicorum prima initia.

§. 204. Ex empiricorum & dogmaticorum placitis, maxime ex Aſclepiadis doctrina, novum ſyſtema compoſuit, non vero penitus exornavit, viam ad methodicam ſectam ipſi tantum monſtrante Aſclepiade *y*), Themiſon, Laodiceus, ſummus, quem Plinius vocat *z*), auctor, & multorum hominum, ſi non ſalvator, ſaltim interfector *a*), qui circa annum U. C. DCC vivere deſiit *b*). Hic ex Aſclepiadis ſucceſſoribus quaedam in ſenectute deflexit, & quidem, cum Aſclepiades morborum origines ex inaequali corpuſculorum manantium proportione deduxerat (§. 191.), ipſe, nullius cauſae, vel latentis, vel manifeſtae, notitiam quidquam ad morborum curationes pertinere ratus, ſatis eſſe duxit communia quaedam morborum intueri *c*). Ad eamque ſententiam ſenex quum perveniſſet, ante hanc aetatem libros Aſclepiadis doctrinam referentes, ſeu, Caelio *d*) notante, ab erroribus nondum purgatos, ediderat.

y) Galen.

y) Galen. introd. f. medic. c. 4.

z) Plinius Libr. XVI. cap. 6.

a) Quot Themiſon aegros autumno occiderit vno. Juvenal. Sat. X. v. 221. cf. le Clerc P. II. L. IV. S. 1. c. 1. p. 443.

b) Biancon. epiſt. de Celſi aetate in edit. Celſi Lugd. Bat. 1785. p. 41.

c) Celſus in praef. ad Libr. I. p. 12.

d) Caelius acut. L. I. c. 16. chron. L. I. c. 4. p. 323.

§. 205. Horum vero communium in morbis, quae κοινότητας poſtea vocarunt medici ejus diſciplinae addicti, duo genera eſſe ſtatuit, vnum adſtrictum, alterum laxum, ad quae omnes morbi redirent. Eoque modo, quae Aſclepiades de meatibus tantum in corpore fuerat profeſſus, (qui minus evidentes erant, & quos non omnes in curatione eſſe immutandos docuerat, ſed hos, in quibus ἀμετρία eſſet *e*,) Themiſon, ea quae communia morbi haberent, ſimulque evidentia curans, de vniverſo corpore ſtatuit.

e) Galen. meth. medend. L. IV. cap. 4. t. X. p. 91.

§. 206. Neque vero rationalibus ſe, neque experimenta tantum ſpectantibus adnumerari voluit, cum ab illis eo nomine diſſentiret, quod in conjectura rerum latentium noluit eſſe medicinam, communia vero ſua ad manifeſta pertinere putabat: ab his vero, quod parum artis in obſervatione experimentorum eſſe credebat, neque ad ea, quae in morbis apparent & ad eorum ſigna pertinent, ſed tantum eo ſpectandum eſſe arbitra-

batur, num ad laxi aut ſtricti genus morbi referendi eſſent *f*).

f) Celſus praef. ad Libr. I. pag. 13.

§. 207. In medendi methodo Themiſon rigorem illum non obſervavit, quem reliqui methodici, ſed Aſclepiadem ſequutus eſt, in eo quoque, vt curationum blanditiis aegrotantium animos corporaque temperaret. Sic pendentis thori, quam Caelius vocat, geſtationem, qua per plurimam partem noctis & diei exerceri aegrotantes jubebat *g*), ſic frictionem, abſtinentiam, trium & plurium dierum praecipiebat *h*): & quod idem Aſclepiades fecerat, omnia ad numerum dierum ordinabat *i*). Acutos morbos, auctore praeceptore ſuo, diaeta primum extenuabat, poſtea aegros vario modo reficiendos curabat *k*).

g) Cael. chron. L. II. c. 14. p. 427.

h) Caelius praef. ad L. I. acut. p. 15. chron. II. c. 1. p. 365.

i) Caelius acut. L. I. c. 16. p. 62.

k) Curationem integram phrenitidis exhibet, & non ſine notis quidem, Caelius acut. L. I. cap. 16.

§. 208. Perfecit methodum Theſſalus Trallianus, Themiſonis auditor, qui ſenex Neronis aevo (ann. 54—68. poſt Chriſtum) vixit. Impudens homo, glorioſus, vt ſe ipſum ἰατρονίκην diceret, divitiis, luxuriae & hominum voluntati magis, quam arti ſerviens, omnium medicorum contemptor, qui ſe ſolum morbos ſcire eorumque medelam ad Neronem ipſum *l*) perſcripſit, de his,

his, quae in morbis communia ſunt, praeceptoris ſui doctrinam hoc modo confirmavit, vt ea τῶν κοινότητων nomine primus inſigniverit, ex his ſolis curationem morborum hauriendam, reliquamque morborum cognitionem nihil ad medicinam pertinere putaverit *m*), vtque in ſingulis vel adſtrictum, vel laxum, quae κοινότητες ſuae erant, quas a ſe inventas gloriabatur *n*), per medicamenta ſanandum eſſe tradiderit. Hinc quoque ſex menſium ſpatio medicinam cuique ſe traditurum profeſſus eſt, quod facile potuit, cum ad duo genera omnes morbos & omnia medicamenta referret. Eoque modo facile diſcipulos nactus eſt *o*).

l) Excerptum ex hac epiſtola ſervavit Galen. meth. med. L. I. c. 2. t. X. p. 3. cf. Plin. L. XXIX. c. 1.

m) Galen. method. medend. L. I. c. 3. t. X. p. 7.

n) Galen. method. medend. L. I. c. 4. p. 11.

o) Galen. method medend. L. I. cap. 1. p. 3. 4.

§. 209. Caeterum quod quisque paene methodicorum & circa communia in morbis, & circa eorum medelam propriam opinionem habuit, neque vlla ſecta magis placitorum & diverſitate & difficultate laboravit, quam methodica, quod mox perſpicietur, vix, inprimis in tanto, & quidem, quod videtur, juſto odio, quo contra Theſſalum affectus erat Galenus, dici poterit, in quibus omnibus methodicorum ſectam perfecerit. Sufficit ſcire poſt Theſſalum Mnaſeam, Dionyſium,

nyſium, Proclum & Antipatrum eadem cum Theſſalo ſenſiſſe: diſſenſiſſe vero ab eo circa quaedam Olympiacum Mileſium, Menemachum Aphrodiſeum, Soranum Epheſium *p*).

p) Galen. introduct. ſ. medic. c. 4. t. II. p. 363.

Caput XVII.

Doctrina methodicorum.

§. 210. Compoſitam fuiſſe methodicorum diſciplinam ex rationali & empirica, ex dictis (§. 204—208.) patet. Mutuati ſunt methodici a rationalibus cauſas abditas, quas vero non tales adſtruxerunt, vt ſecundum ſectae leges medentibus mox ex vno genere, mox ex alio cauſas latentes ſtatuere liceret, ſed omnibus morbis communes quasdam affectiones eſſe docuerunt, per ea, quae in aegris apparent, cognoſcendas, hasque ad duo genera, adſtrictum & laxum referendas eſſe.

§. 211. Quas affectiones etſi quidem non ad latentia pertinere ipſi adſeruerunt, quae quippe minus certa ſint omnia, ſed ad manifeſta, tamen, cum non per ſe pateant, ſed per phaenomena cognoſcantur, vtique, quod & Galenus *q*) monuit, ad latentia referendas eſſe cenſendum eſt. His affectionibus ad indicationes curandorum morborum formandas ſolis vſi ſunt, & ita quidem, vt, quas rationales ex cauſis, ad quas concurſus

ſus ſymptomatum & affectionis cognitione perveniebant, hauſerant indicationes, hi tantum ex communibus hisce affectionibus, adſtricto nempe & laxo, peterent *r*).

q) Galen. de ſectis c. 6. p. 291. t. II.
r) Galen. introd. ſ. medic. c. 8. p. 366. t. II.

§. 212. Hinc quae rationales ſumme neceſſaria fuerant arbitrati, cauſas morborum efficientes, morborum tempora, habitum, aetatem, vires aegrotantis, loci affecti cognitionem, verbo omnia, quae non ad affectiones eorum proxime pertinebant, neglexerunt *s*): omnia quoque, quae ad horum cognitionem pertinent, anatomen quoque *t*), ad medicum nihil facere exiſtimarunt. Ab affectionibus vero in morbis communibus (§. 211.) indicationes repetierunt, in eo quidem cum rationalibus medicis conſentientes, dum ſtatuebant, morbum absque indicatione curationis facta ſanari non poſſe, diſſentientes vero, dum indicationem non a cauſis latentibus, ſed ab affectionibus, quas communes dicebant omnibus morbis, repetebant *u*). Hinc quoque dogmatici dici noluerunt.

s) Galen. de ſectis c. 6. p. 291. t. II. c. 7. p. 292.
t) Galen. de ſectis c. 7. p. 292.
u) Galen. de ſectis c. 7. p. 292.

§. 213. Ab empiricis vero differebant, (etſi, vt hi, manifeſtis ſymptomatibus in morbis acquieſcentes, per ea affectiones communes cognoſcebant,)

bant,) partim indicatione (§. 212.), quam empirici plane non formabant (§. 169.), partim in ipſo modo, quo apparentibus in morbis vtebantur. His enim ad curationem inveniendam empirici, ad communem vero affectionem methodici vſi ſunt. Empirici latentia fugiebant tanquam incerta, methodici tanquam inutilia. Empiricorum hinc erat obſervationem apparentium (τήρησιν ἐπὶ τοῖς φαινομένοις), methodicorum vero indicationem habere (ἐνδείξιν ἔχειν) *x*). Experimentum empiricorum ad virtutes medicaminum cognoſcendas tantum conferre putabant, omnia vero, quae morbo ſanando conferrent, ex indicatione invenienda eſſe: indicari vero, quae morbo ſanando conferunt, per apparentia, quatenus communis per ea affectio manifeſta fiat *y*).

x) Galen. de ſectis t. II. p. 292.

y) Galen. de optima ſect. c. 8. t. II. p. 303. c. 28. pag. 318.

§. 214. Longius adhuc receſſere ab empiricis, apparentia in morbis tantum haec cognoſcenda eſſe putantes, quae ad affectionis communis naturam eruendam pertinerent, & in medicaminibus ſolum ad duas, easque contrarias, virtutes eſſe reſpiciendum, adſtrictionis atque laxitatis, quarum vna laxatum, altera adſtrictum curaret.

§. 215. Quibus omnibus perſpectis, non arroganter eos, ſed ſecundum ipſius methodicae diſciplinae principia egiſſe putandum eſt, artem, quam

quam longam Hippocrates dixerat, brevem, vitam vero longam esse existimantes, Hippocrati & omnibus cum dogmaticis, tum empiricis, contradicentes, profitentesque in medicina perspicua, facillime intellectu omnia esse, quam auditorum qualiscunque sex mensium spatio commode perdiscere possit *z*).

z) Galen. de sect. c. 6. p. 292. t. II.

§. 216. Nunc vero doctrinas methodicorum curatius persequar. In quibus notandum est, eas, quod circa multas ejus partes inter ipsos methodicos non conveniebat, aliis disciplinam mutantibus detrahendo, aliis adjiciendo, aliis res ad hanc spectantibus aliter explicando, varias fuisse & a singulis fere auctoribus diverso modo traditas. Temporum ordo servatus tricas has commodissime expediet.

§. 217. Themisonis doctrinam Corn. Celsus optime exposuisse videtur, propterea quod decem circiter annis post hujus viri excessum artium libros suos composuit *a*), neque his temporibus plures, praeter Themisonem, methodici libros scripsisse videntur: sed dubito, quin vera vbique proposuerit mentemque Themisonis semper fuerit adsequutus. Tria enim affectionum communium genera extare, adstrictum, laxum tertiumque mixtum ex Themisonis mente Celsus docuit *b*), quum Galenus & omnes etiam probatiores methodici referant, eum duo tantum genera statuisse,

neque quisquam methodicorum mixto communium affectionum generi hanc dignitatem tribuerit, quam duabus reliquis. Refert quoque Celsus, vtrumque affectionum communium genus ex profluvio tantum corporis, aut adstrictione profluvii Themisonem cognoviſſe, quod falsum, saltim a probatioribus methodicis non factum & ex mala Graecarum vocum, quibus strictum (στεγνὸν, στεγνῶσις) & laxum (ῥοώδες, ῥῦσις) designabant methodici, interpretatione natum est. Hinc quoque argumenta, quibus Celsus vtitur contra methodicos, neque ad Theſſalum, neque ad probatiores methodicos omnes pertinent

a) Bianconii epist. de Celsi aetate p. 41.
b) Celsus praefat. ad L. I. pag. 12.

§. 218. Themison causas rejecit manifestas abditasque, communia morborum intuens, eaque ad adstrictum & laxum (quod fluens Celsus non penitus ex methodicorum mente interpretatus est) referenda esse statuens. Cognito igitur eo, quod adstrictum est, digerendum esse, quod laxum, stringendum. Quae vero communia, cum existant in omnibus morbis omnique morbi tempore, ad ea quidem semper esse respiciendum, aliter tamen acutis morbis, aliter vetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter ad sanitatem declinantibus esse medendum. Horum observationem medicinam esse, quam ita finiebat, vt quasi viam quandam, quam μέθοδον Graeci nominant, eorum-

eorumque, quae in morbis communia sunt, contemplatricem esse contenderet *c*).

c) Celsus praef. ad L. I. p. 12.

§. 219. Antonius Musa, qui Augustum medicina, secundum methodicorum disciplinam praecepta, gravi morbo liberavit, balneorum frigidorum vsum apud Romanos vulgatiorem reddidit. Vectius Valens num methodicus fuerit, & quaenam mutaverit in medicina, incertum est *d*). De vtrisque his viris infra dicam. At Thessalus (§. 208), quem ipse Galenus perfeciisse sectam methodicorum professus est, etsi quae communia in morbis ex methodicorum mente sunt, quod Galenus quoque notavit, non invenit, Themisoni quippe jam cognita, eorum tamen nomine τῶν κοινοτήτων primum videtur vsus esse. Eaque, in quibus, Galeno recte monente *e*), differentiae omnium morborum ex methodicorum mente sitae erant, ipsos morbos esse putabat, quorum adeo duo summa genera statuit. Deliquit etiam contra instituta methodicorum, quod *pro patientibus locis mutabilem esse curationem voluit*, cum tamen, methodicis aliis existimantibus, *solum ob strictu*ram *et laxitatem mutanda sit f*). Caeterum communium affectionum notas accuratius exposuisse videtur *g*) & in medendi methodo methodicorum disciplinam perfeciisse, morborum curationes eorum temporibus accommodando *h*).

 d) Plin.

d) Plinius L. XXVI. cap. 5. cf. Clericus part. II. L. IV. S. I. c. 1. p. 445.

e) Galen. method. medend. L. I. c. 3. t. X. p. 7.

f) Caelius acutor. L. III. c. 17. p. 247. cf. Galen. de sect. c. 6. p. 291. t. II.

g) Caelius chron. L. II. c. 8. p. 387.

h) Galen. de opt. sect. c. 25. t. II. p. 322.

§. 220. A Thessali temporibus vsque ad Galenum vixere quidem methodici plures (§. 209), sed cum quid docuerint nesciamus, methodicorum medicina qualis Galeni temporibus fuerit nunc enarrandum est. His itaque temporibus, si liber, quem introductionis titulo emisisse fertur, ab ipso Galeno profectus est, his methodicorum secta distinguebatur: Primum, quod simile in evidentibus considerabat: deinde quod ex evidentibus ad communia in morbis redibat: tandem quod ex communium indicatione curationem hauriebat, neque causas, rationalium more, spectabat, neque observationem in symptomatibus concurrentibus, empiricorum more, instituebat *i*).

i) Galen. introd. s. medic. c. 3. p. 363. t. II.

§. 221. Communia morborum antiquioribus methodicis erant adstrictum & laxum. Tertium genus, mixtum (τὸ ἐπιπεπλεγμένον), Themison jam addiderat; sed is auctor, parem id cum reliquis communibus morborum dignitatem non habere, recte dixit, quod ex adstricto laxoque erat compositum, ita vt mixtum locum haberet, si in vno eodemque morbo in alia parte adstrictum corpus,

corpus, in alia laxatum eſſet *k*). Hinc Theſſalus, & reliqui methodicorum principes, duo tantum communia morborum ſtatuerunt *l*), Galeni vero temporibus tria eſſe exiſtimabant methodicorum plurimi.

k) Celſus in praef. ad L. I. p. 12.

l) Galen. method. medend. L. I. c. 3. t. X. p. 7. 8.

§. 222. Multum vero circa haec tria communium in morbis genera inter methodicos rixarum fuit. Neque inter ſe conveniebant, neque cum Theſſalo, ſectae ſuae principe, neque eadem in morbis communia ſtatuebant, neque in hoc vel alio in ſingulis morborum generibus ſtatuendo concordabant. Quam ob cauſam eos Galenus ἀμέθοδας dixit *m*). Cujus diverſitatis cauſa vna erat, quod multi methodici dicebant, adſtrictum retentionem excretionum eſſe, quae demitti ex corpore deberent, laxumque in contrario ſtatu conſiſtere. Sed probatiores methodici, neque adſtricti neque laxi naturam in fluxu aut repreſſo aut nimio eſſe ſtatuentes, adſtrictionem coarctationem (πίλησιν) & denſationem (σφίξιν) corporis generalem, laxum vero contrarium ſtatum eſſe exiſtimarunt *n*). Hinc duo methodicorum genera Galeni temporibus extabant, alterum quod ſtricti & laxi praeſentiam ex ſolis excretionibus, aut cohibitis, aut nimiis dijudicabat, quodque adeo Aſclepiadem ſequi videbatur (§. 195.): alterum vero, quod ex vniverſi corporis affectione judicium

dicium de ejus adſtricto vel laxo ſtatu ferebat *o*). Altera cauſa erat, quod ipſi methodici anguſtari medicinae finēs intelligebant tribus his communibus in morbis affectionibus ſtabilitis, quas ad vnam tantum medicinae partem, quae morbos internos curabat, (diaeteticen vocabant), pertinere ipſi concedebant. Et eas quidem in hac parte medicinae ſemper valere judicabant; at vario tempore modoque vario, quam ob cauſam quoque factum eſt, vt inflammationis & aliorum morborum curationem cum adſtrictione inciperent. Ut vero ad eam medicinae partem, quae manu opem fert, diſciplinam ſuam quoque deducerent, nova in morbis communia excogitarunt.

m) Galen. adverſus Julianum cap. 1. t. IX. p. 377.

n) Locus claſſicus proſtat in libro Galeni de ſectis c. 9. p. 295. t. II. τινὲς ταῖς παρὰ φύσιν ἐκκρίσεσι παραμετρῶσι τὸ ϛεγνὸν καὶ τὸ ῥοῶδες. ἰσχομένων μὲν αὐτῶν ϛέγνωσιν ὀνομάζοντες τὸ πάθος, ἀμέτρως δ' ἐκκρινομένων ῥύσιν. Ἄλλοι τινὲς ἐν ταῖς λοιπαῖς τῶν σωμάτων διαθέσεσι τὰ πάθη φασὶν εἶναι, καὶ μέμφονταί γε δεινῶς τοῖς εἰς τὸ κενούμενον ἀποβλέπουσιν.

o) Galen. de optim. ſecta c. 48. p. 337. t. II.

§. 223. Internorum itaque morborum duo communia ſtatuerunt, adſtrictum & laxum, tertio, mixto, addito. Per haec morbos in corpore adeſſe cognoſcebant, quorum vero notas nominaque ſcire non opus eſſe arbitrabantur, cum in adſtricto totum corpus denſatum eſſet omnisque

evidens

evidens excretio prohibita, in laxo vero corporis ſuperficies relaxata, & excretiones, quae in ſenſum cadant, intenſiores exiſtant. Hinc duplicem curationem has generales corporis affectiones indicare, laxationem, ſi in adſtrictione, adſtrictionem, ſi in laxatione affectio conſiſtat: in mixto vitio ei occurendum eſſe, quod vrget. Ex his duo communium genera nata ſunt, ad affectionem ſcilicet & ad curationem pertinentium. Illae ſtrictum & laxum erant: hae ad ſolutionem & adſtrictionem ſpectabant. Tertium communium genus addiderunt ad tempus pertinentium (καιρικαί), quae peragenda in initio, incremento, vigore, declinatione morborum comprehendebant. Chirurgiae vero communia ſita erant in ejus ablatione, quod alienum eſt. Id duplex erat, vel in corpore, vel extra illud exiſtens. In corpore exiſtens triplicis generis erat: 1) loco alienum, τῷ τόπῳ ἀλλότριον, quod reſtitutionem in ſuum locum indicabat; 2) magnitudine alienum, τῷ μεγέθει ἀλλότριον, quod partim reſolutionem, partim exſtirpationem indicabat; 3) defectu alienum, ἐλλείψει ἀλλότριον, quod repletionem deſiderabat. Quum denique perſpicerent morbos dari, a venenis & aliis cauſis valentibus inductos, quorum affectio nec ad ſtrictum, nec ad laxum poſſet referri, novam communitatem excogitarunt, prophylacticam. Ad hanc vero, quam tamen omnes methodici non habuiſſe videntur, evidentibus

quo-

quoque cauſis vſi ſunt. Sic a rabido cane morſum, cujus corpus apparenter ſanum erat, idoneis remediis adverſus veneni vim tuebantur *p*).

p) cf. Galen. de optima ſecta c. 32. p. 327. 328. t. II. introduct. ſ. medic. c. 3. t. II. p. 362. 363.

§. 224. Communia morborum, ad eorum tempora pertinentia (§. 223.), magni inprimis methodicis in curatione vſus erant. In his fere ſolis ſtatuendis Hippocratem, diaetam morborum temporibus commodam praecipientem, ſequuti ſunt, falſo autem, Theſſalo auctore, putarunt, Hippocratem diaetam ſecundum tempora morborum ordinaſſe, quum eandem pro virium aegrotantis natura praeceperit. Methodici vero, & diaetam, & medelam ſecundum tempora morborum praecipientes, & in incremento adſtringendum aut laxandum corpus, in vigore temperandum, in declinatione vero quae ad morbi ſolutionem conferunt, praecipienda eſſe exiſtimantes *q*), qualis potus, quale alimentum qualiaque medicamenta diverſo morbi tempore eſſent neceſſaria, per generales regulas conſtituebant. In principio acutorum nullum, in augmento parcum, in declinatione magis varium alimentum dabant: qualitatem quoque alimentorum morbi temporibus accommodabant *r*). Quae placita cyclis methodicorum curativis, qui poſt Galeni tempora in eorum ſchola invaluerunt, anſam dederunt.

q) Galen. de opt. ſect. c. 44. p. 334. t. II.

r) Galen. de opt. ſect. c. 34. 44.

§. 225.

§. 225. Medicinam, quam Theſſalus cognitionem facientium & neceſſariorum ad ſanitatem finiverat, dixerunt eſſe notitiam manifeſtarum communitatum, proximarum, concordantium & conſequentium ad medicinae finem *s*). Diverſas definitiones ſinguli fere methodici tradidere, neque in nominibus generatim, neque in eorum explicatione conſentientes *t*): in plurimis tamen definitionibus medicinam ſcientiam eorum, quae communia aegris ſunt, dixerunt *u*).

s) Galen. de ſect. c. 6. p. 291. cf. Galen. def. medic. n. 17. p. 235. t. II.

t) Galen. method. medend. L. IV. c. 4. t. X. p. 85.

u) Galen. de opt. ſect. c. 23. p. 322.

§. 226. Et haec communia in morbis curanda ſolum reſpexerunt, quoniam in his cauſam, quae morbum proxime effecerat, eſſe putabant. In quo quidem etiam Aſclepiadem ſequuti ſunt, qui cum meatuum in contrarium ſtatum mutatione (μεταποροποίησις) ſanitatem reſtituendam docuiſſet, non vniverſi corporis habitum, ſed meatus tantum immutandos eſſe cenſuerat (§. 193. 195.). Methodici vero id, quod de meatibus Aſclepiades dixerat, ad vniverſum corpus applicantes, ejus naturam per diaetam & medicamenta mutandam in morborum curatione ita eſſe docebant, vt contrario ſtatu inducto, is, per quem morbus adfuerat, emendaretur. Μετασυγκρίνεσθαι hoc Graece dixerunt, duce Theſſalo, qui primus hac voce

voce hoc ſenſu vſus eſt *x*), recorporare Caelius latine dixit. Quae vox a methodicis ob Epicuri & Aſclepiadis ſententiam recepta eſt, qua atomos in ſyncriſes tranſire, hasque in corpora exiſtimabant (§. 184.). Hoc modo vniverſam practicam medicinam mutarunt, morborum omnium medelam mutationi eorum, quae communia in morbis eſſe putabant, accommodantes: deteriores in hoc dogmaticis omnibus, qui in curandis morbis eligendisque medicinis ad empiricorum mentem plerumque redibant *y*).

x) Galen. method. medend. L. IV. c. 4.

y) Galen. de ſect. c. 7. p. 292. t. II.

§. 227. In curatione autem morborum antiquiores methodici aliter procedebant, quam recentiores. Themiſon & Theſſalus in medicamentis exhibendis non ad morborum incrementa, vigorem, declinationem, ſed ſolum ad dierum numerum reſpexerunt *z*) & quidem ita, vt quae agenda eſſe aut per diaetam, aut per medicamenta putarent, trium dierum numero (diatriton vocabant) comprehenderent. De ipſa vero hac diatrito, quam Themiſon jam reſpiciebat, Theſſalus vero in ſingulis morbis rigoroſius praecepit, ipſi methodici non conſenſerunt, quibusdam eam tribus plenis diebus contineri putantibus, aliis vero alternis diebus. Caelii temporibus tres diatriti ſeptem diebus continebantur, hoc modo, vt tribus primis diebus vna diatritos comprehenderetur,

deretur, altera vero cum quarto, tertia cum ſexto die inciperet *a*). Generatim in morbis chronicis curandis haec trium dierum regula ſtrictius ſervata eſt, quam in acutis.

z) Caelius chron. L. II. c. 1. p. 365. chron. L. II. c. 13. p. 404.

a) Caelius chron. L. II. c. 13. p. 404.

§. 228. Prima diatrito (§. 227.) in qualicunque morbo ab omni cibo potuque abſtinendum eſſe praeceperunt, neque hoc tempore in morbis quidquam mutarunt, Aſclepiadem, qui eadem fere praeceperat (§. 201.), ſequentes. Non tamen omnes circa hanc abſtinentiam eadem ſenſerunt, neque eam in omnibus morbis commendarunt *b*). Ad methodi rigorem eam tamen pertinuiſſe ex Caelio liquet: qui enim prima diatrito aegris alimenta dediſſent, hos contra methodi rigorem deliquiſſe notat.

b) Themiſon phreniticos prima diatrito nutriendos eſſe cenſuit. vid. Caelius acutor. L. 1. c. 16. p. 60.

§. 229. Tribus morbi primis diebus transactis, per quos aegro ab omni alimento abſtinendum erat, reliquis diatritis, in primis in vetuſtis morbis, ad metaſyncriſin vſi ſunt. Quum vero in iisdem morbis tempus omne ad habitus mutationem impendi non poſſet eoque eſſet reſpiciendum, vt vires aegris ſuppeterent, circulos quosdam ſanationis, quos vero Galenus ignorabat, adeoque poſt Galeni demum tempora, excogita-

runt methodici, in quibus medicus aut habitum aegrotantium mutaret ex adſtricto in laxum, & contra (metaſyncriticum cyclum vocabant), aut viribus conſuleret, eas & conſervando, & augendo, qui reſumptivus cyclus erat. His circulis, mox vna alterave diatrito, mox vero pluribus comprehenſis, omnis eorum medicina continebatur *c*). Ad vomitum quoque concitandum cyclo peculiari, quem vomitorium appellabant, vtebantur *d*). Neque vnquam ab vno cyclo ad alium tranſierunt, niſi corpore ad mutationem medelae & alimenti ſedulo praeparato.

c) Fuſe deſcripſit modum reſumptivi & metaſyncritici circuli adhibendi in cephalaea Caelius chron. L. I. c. 1. p. 275. quam deſcriptionem Clericus excerpſit hiſt. med. Part. II. L. IV. Sect. I. c. 11. p. 478. & ex eo Schulzius compend. hiſt. med. §. 675.

d) Quem ex Caelio exhibent Clericus, l. cit. & Schulzius, in compend. hiſt. med. §. 679.

§. 230. Et has quidem curationes medicamentis perficere tentarunt paucis talibusque, quae corpus non vehementer afficerent. Hinc quae non ad mutationem ſtricti laxive conferre putabant, rejiciebant omnia, evacuantia, alvum purgantia praeſertim, vrinam concitantia, ſomnifera. Ventrem adeo perforare his, quibus aquae in eo eſſent collectae, vetuerunt. Sanguinis miſſione, fomentis ex aqua calida, oleo, cataplaſmatibus, adſtrictionem, frigore, plantaginis, myrti, roſarum, ſempervivi ſucco, vino rubro, laxationem cura-

curabant, vehementius quoque ſtringentibus ad eandem ſubinde adhibitis, alumine, plumbo vſto, caet.

§. 231. Generatim notandum eſt, nullam medicorum antiquorum ſectam diaetae plus ad ipſos morbos curandos tribuiſſe, neque vllam eam ſtudioſius & ſubtilius coluiſſe, quam, Aſclepiade auctore, methodicam. Hinc communia in morbis minus medicamentis magis diaeta, & quidem ſtudioſiſſime ordinata, curabant, neque medicationis eorum circuli in adhibendis medicamentis, ſed potius in diaeta, quae aut vires reſtitueret, aut habitum corporis mutaret, praecipienda conſtabant. Ut merito Hippocratem naturalis diaetae in morbis primum dicas auctorem, artificioſae vero methodicos.

§. 232. Unicus nobis ex methodicorum ſecta ſcriptor practicus ſupereſt, Caelius Aurelianus, quem non longo poſt Galenum tempore, & in Africa quidem, vixiſſe puto. Qui auctor non ideo ſolum nobiliſſimus putandus eſt, quod methodicorum diſciplinae ingenium optime ex eo intelligitur, verum etiam quod ex antiquis, cum dogmaticorum, tum empiricorum libris permulta excerpſit, ex quibus quomodo morbis medelam fecerint aliquo ſaltim modo intelligatur. Ex eodem auctore perſpicitur quos morbos ad adſtrictum, quos ad laxum retulerint methodici. Ad primum genus retulerunt phrenitidem, lethar-

gum, catalepſin, capitis dolorem, vertiginem: ad poſterius cardiacam paſſionem, choleram, profluvia omnia: ad mixtum peripneumoniam, pleuritidem, aſthma. Si denique methodici ex Caelii libro magis aeſtimandi ſunt, quam ex iis, quae Galenus de iis, & non quidem ſine invidia, profert, in morborum ſymptomatibus deſcribendis minus ſegnes fuere, quam conſiderantibus eos nullam vtilitatem ſymptomatibus in medicina tribuiſſe (§. 213. 214.), exiſtimandum foret. Morbos quoque quoad cauſas eos efficientes recte diſtinxerunt, etſi methodus nullam cauſam, praeter communes affectiones, in medici aeſtimationem pervenire praeceperat. Hinc rigor, quem vocabant, methodi magis in contemplationibus & medelae quodam ordine conſtitit: medela morborum mutata quidem per eos eſt, ſed non perturbata. Quod effecit, vt practicae medicinae minus detrimenti methodicorum ſecta attulerit.

cf. de ſecta methodicorum Proſp. Alpini de medicina methodica Libri XIII. Venet. 1611. 4. Lugd. Bat. 1719. 4. P. G. Werlhofii diſſ. inaug. de medicina ſectae methodicae veteris ejusque vſu & abuſu. Helmſtad. 1723. 4. rec. in opuſc. t. I. p. 1. ſeq.

Caput XVIII.

Secta medicorum pneumaticorum.

§. 233. Poſtquam hac fortuna vſus erat Aſclepiades, vt, Epicuri ſyſtemate in medicinam introtro-

troducto, novae sectae, quae vna ex principibus in medicina evasit, primas origines daret, praeter Epicuri philosophiam, quae mutata paululum sectae methodicorum fundamenta dederat, Stoicorum quoque philosophia medicis arridere coepit. Secta per hanc philosophiam nata Nerone, aut Vespasiano Romanis imperantibus (ab anno LX, vsque ad annum LXXIX post Christum natum; tempus enim accuratius constitui nequit) novae medicorum disciplinae origines dedit, omnia in morbis a spiritu Stoicorum cuncta penetrante deducenti & contemplativam medicinam singulari modo per definitiones & divisiones tractanti. Pneumaticos medici ei sectae addicti se dixerunt, qui ad methodicos, quod quidem Clericus *e*) putavit, nullo modo, sed potius ad rationales medicos referendi sunt.

Ejus historiam summo studio persequutus est auditor nuper meus, nunc medicus Norimbergensis, Jo. Carolus Osterhausen in dissert. inaugurali, quae historiam sectae medicorum pneumaticorum exhibet, Altorfii, 1791. 8.

e) Cleric. P. II. L. IV. S. II. c. 3. p. 506.

§. 234. Ejus sectae conditor Athenaeus fuit, Attaliae, Ciliciae vrbe, natus, medicus inter antiquos celeberrimus, qui Romae sectae suae scholam aperuit & in medica contemplatione Chrysippum, principem ex Stoicorum philosophia virum, sequutus est *f*). Is Theodorum atque Agathinum habuit discipulos, in quibus Agathinus

ideo in hiſtoria medicinae memorandus eſt, quod epiſyntheticae, hecticae, aut eclecticae *g*) nomine novam ſectam condidit, cujus doctrinae, quia, praeter nomina, omnia ad eam pertinentia interierunt, penitus nos latent. Hanc vero ſectam ad practicam tantum medicinam pertinuiſſe inde liquet, quod Agathinus in contemplativa parte pneumaticorum placita ſequutus eſt *h*).

f) Oſterhauſen hiſt ſect. pneumat. S. I. §. 1. p. 15.
g) Galen def. medic. 14 p. 235. t. II.
h) Oſterhauſen hiſt. pneumat. S. I. §. 2. p. 23.

§. 235 Diſcipulos habuit Agathinus Archigenem & Herodotum, & illum quidem in primis ob medicamenta a ſe inventa, minus ob contemplationes ad Stoicorum mentem in medicina excultas, ad praeſtantiſſimos medicos relatum, qui & nomen ſectae pneumaticorum primus dedit, Herodotum vero, qui iisdem vicibus apud pneumaticos functus eſt, quibus apud methodicos Theſſalus, glorioſi nempe hominis *i*). Ad pneumaticos denique referendi ſunt Magnus & Leonides, cum quibus haec ſecta extincta eſt.

i) Cl. Oſterhauſen hiſt. pneumat. S. I. §. 3. p. 24.

§. 236. Breviſſimum autem tempus eſt, quo ſecta pneumaticorum viguit, ſpatio enim annorum XCII & orta eſt, & floruit, & eſſe deſiit. Quod ita accidit ob ſectarum empiricae & methodicae famam, qua Romae florebant, quaeque ſeverius philoſophiae ſtudium, in quo omnis pneumatico-

maticorum altior contemplatio verſabatur, non requirebant, nec non ob dogmaticorum medicinam, quae etſi diverſas de latentibus morborum cauſis ſententias non recuſabat, novas tamen, in primis difficiles, ad quod genus pneumaticorum placita referenda ſunt, vix admittebat. Neque ſeverior Stoicorum diſciplina Romae radices agere potuit temporibus, quibus Romani vitam gerebant Stoicorum inſtitutis plane contrariam. Et pneumaticorum medicorum placita aſſequi non licebat, niſi Stoicorum philoſophia penitus percepta.

§. 237. Doctrina vero pneumaticorum medicorum haec erat: Stoicorum placita ſequentes, animam mundi πνεῦμα vocabant, artificioſum ignem, qui mundum animatum faceret ipſeque intelligens eſſet ſapiensque. Hunc ſpiritum cunctas humani & reliqui animalis corporis partes penetrare ſtatuebant, quo recte conſtituto in humano corpore naturam bene conſiſtere, offenſo vero morbos naſci putabant *k*). Elementa caeterum quatuor cum dogmaticis fere omnibus ſtatuerunt, igni vero majorem vim, quam reliquis, adſcripſerunt. Neque, quod mirum eſt, ea, quae de ſpiritu docuerant cuncta penetrante, ſi ex fragmentis, quae Galenus de hujus ſectae placitis ſervavit, doctrina ipſius ſectae poteſt intelligi, ad naturalem aut praeternaturalem actionem corporis humani applicaverunt.

k) Cl. Oſterhauſen S. II. §. 1. p. 42.

§. 238. Etſi enim in ſpiritus omnia penetrantis affectione morbum conſiſtere putabant eoque modo ejus medicinae contemplatricis primi auctores erant, quae ſummo viro, Stahlio duce, noſtro aevo agitari coepta eſt, tamen, quod mirum eſt, dogmaticorum plurimorum more, elementorum qualitatibus, calido, frigido, humido, ſicco, cauſas morborum tribuerunt, neque per ſpiritum ſuum quicquam explicuerunt. In definiendo caeterum & diſtinguendo ſubtiliſſimi fuerunt *l*). Hinc quod Zenoni objecerat M. T. Cicero *m*), non tam rerum inventorem fuiſſe, quam verborum, eadem contra pneumaticos Galenus *n*) dixit. Et ſane praeter definitionum, novarum diviſionum & medicamentorum, quae in morbis adhibebant, copiam, a rationalibus medicis non diſceſſerunt.

l) Exempla permulta collegit Cl. Oſterhauſen in libr. cit. S. II. §. 11. 12. vbi vide in primis eorum de pulſibus doctrinam & de dolorum differentiis, in qua & ſubtiliſſimos viros longiſſime ſuperarunt.

m) de finib. L. III. c. 2. p. 231. ed. Bipont.

n) Galen. de different. pulſ. L. III. c. 1. t. VIII. p. 63. Cl. Oſterhauſen S. II. §. 15. p. 71. 72.

§. 239. In medicamentis copioſiſſimi fuere pertinuitque ad probatiores de medicamentis compoſitis auctores Archigenes, cujus libros fere integros Galenus exſcripſit. In diaetetica tamen medicinae parte Aſclepiadem ſequuti eſſe aliquo modo videntur acutosque morbos eodem, quo ille,

ille, modo curaſſe. Ad diuturnos medicamentorum copia fere infinita, pro ſaeculi, quo florebant, more, vſi ſunt. Videntur itaque ratione altioris de primis morborum originibus contemplationis propriam effeciſſe ſectam, in reliqua contemplatione dogmaticos, in curatione morborum ex parte Aſclepiadem, ex parte empiricos ſequentes, unde quidam eorum epiſynthetici, ſeu eclectici (§. 234.) dicti ſunt.

§. 240. Dimicaſſe in medicorum pneumaticorum acie Aretaeum poſt Dan. Clericum *o*) omnium, qui medicinae hiſtoriam perſcripſerunt, opinio fuit: ſed vix majori jure, quam caeteros dogmaticos, ad pneumaticos pertinuiſſe Aretaeum, Cl. Oſterhauſen *p*) probavit. Memorandus autem hic vir in hiſtoria medicinae eſt, ſummus atque praecipuus de morborum cognitione & curatione poſt Hippocratem auctor, qui temporibus a Nerone ad Adrianum vſque (ann. 54. vſque ad ann. 138. poſt Chriſtum) vixiſſe videtur *q*), Galeno ignotus & ſaeculo demum IV & V a medicis citatus. Libros ſcripſit IV. de cauſis & ſignis acutorum & diuturnorum morborum: totidem de curatione acutorum & diuturnorum morborum. In his rationalem diſciplinam ſequutus eſt, neceſſariam anatomen ad omnes morbos cognoſcendos probans. In ſymptomatum enarratione accuratiſſimus fuit, vt in hac veterum nemini, & ne Hippocrati quidem, cedat. In mor-

borum curatione naturae ductum & magiſtram, quam ipſe vocabat, experientiam, ſequutus eſt, nec quidem magis in ſtylo efformando, quam in remediis adhibendis, peritus artifex & concinnus. Eo ordine, eo judicio, ita diſtincte pleneque traduntur ab eo curandi rationes, vt vix quicquam in hoc genere ex ſummi ſcriptoris manibus exierit abſolutius. Quae ab antiquioribus dicta erant, alia, vtpote optima, ſelegit, alia expolivit, quaedam ipſe primus, elephantiaſis, venae cavae acuti morbi, ſatyriaſis, caet. exemplo, haud infeliciter tentavit *r*).

o) hiſt. med. P. II. L. IV. S. II. c. 3. p. 508.

p) hiſt. ſectae pneumaticor. S. III. §. 1. p. 79. ſeq.

q) Jo. Wigan de Aretaci aetate, in Aretaei edit. Oxon. 1723. fol. pag. XV.

r) Wigan de curandi ratione, quam tenuit Aretaeus, in ead. edit. p. XXVIII.

Caput XIX.

Medicina Romanorum.

§. 241. Romanus populus vſque ad ſexcenteſimum annum ſine medicina vixiſſe fertur *s*). Quod non ita intelligendum eſt, vt medicina caruerit, ſed vt medicis, qui artem Graecorum more didicerant & ſecundum ſcholarum Graecarum praecepta exercebant. Neque tenax hoc temporis ſpatio antiquae ſimplicitatis, continentiae, priſcoque vtens robore, in quod morbi, ſi vnquam, ſaltim

ſaltim raro cadunt, populus Romanus medicis difficulter caruit. Non vero, ob vulgares morbos, qui Romae & in agro Romano crebriores eſſe conſuerunt, quosque antiquitas omnis (§. 25.) a Deorum ira profectos putabat, numinum eorum cultu caruit, quibus opinio propitiam ad morbos avertendos voluntatem tribuebat. Hinc peſtilentiae cauſa anno U. C. CCCXXI aedes Apollini, medicinalis auxilii cauſa, dedicatae ſunt *t*).

s) Plinius L. XXIX. c. 1.

t) Schulzius in hiſt. med. Period. II. c. 6. §. 4. p. 430.

§. 242. Cum vero anno U. C. CDLIX multis rebus populo Romano laetus annus vix ad ſolatium peſtilentiae vrentis ſimul vrbem atque agros ſufficeret portentoque ſimilis clades eſſet, in libris Sibyllinis inventum eſt, Aeſculapium ab Epidauro Romam arceſſendum. Neque tamen hoc anno, quia bello occupati conſules erant, quicquam de ea re actum, praeterquam quod vnum diem Aeſculapio ſupplicatio habita eſt *u*). Anno vero U. C. CDLX, poſt quam triennio continuo civitas peſtilentia vexata fuerat, legatis Epidaurum miſſis vnicam fatalis remedii opem Romani impetrarunt. Siquidem is anguis (§. 51. 53.), quem Epidaurii in modum Aeſculapii venerabantur, per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis & leni tractu labi Romanorumque legatos ſequi coepit, triduoque inter religioſam omnium admirationem conſpectus, tandem ad triremem Roma-

manam perrexit: paventibus inuſitato ſpectaculo nautis eo conſcendit, vbi Q. Ogulnii, legati, tabernaculum erat, in quo in multiplicem orbem, per ſummam quietem, eſt convolutus. Tum legati, cultu anguis a peritis accepto, laeti inde ſolverunt. Tandem in ripam Tiberis egreſſis legatis anguis in inſulam, vbi templum dedicatum eſt, transnatavit adventuque ſuo tempeſtatem, cui remedio quaeſitus erat, diſpulit *x*).

w) Livius L. X. c. 47.

x) Epit. Liv. L. XI. Valerius Maxim. L. I. de mirac. cap. 2.

§. 243. Cultum anguis a peritis accepiſſe Romanos Valerius Maximus quod memorat, plures in hac opinione fuerunt, vt ſacerdotes quoque Aeſculapii Epidauro Romam tranſierint & Aſclepiadarum priſcam medicinam ad Romanos tranſtulerint *y*). Cui opinioni & Valerii Maximi verba repugnant, & Romanorum mos, quo numinum ſacerdotes non eligere, niſi ex Romanorum ipſa gente, licebat.

y) Schulz in hiſt. med. P. II. c. 6. §. 5. p. 430.

§. 244. Cum Aeſculapii cultu Hygeae quoque numen ad Romanos tranſiiſſe vero non abſimile eſt. Quod enim ſub ſalutis Deae nomine coluerunt prius, quam Aeſculapium arceſſerent, Romani numen, quidquid contradicant alii, ex iisque Cl. Groſaeus *z*), non Hygea fuit, ſanitatis effectrix, Aeſculapii filia, ſed τύχη, ſive σωτεῖρα θέα,

θέα, cui Lucius Junius Bubulcus conſul aedem, quam bello Samnitium voverat, anno U. C. CDXLVII. cenſor locavit, ac tandem, bello contra Aequos proſpere confecto, dictator, poſtquam triumphans in vrbem rediiſſet, anno U. C. CDLI. dedicavit *a*). Quod non ob ſanitatis praeſidium, a numine acceptum, ſed ob bellum contra Samnites feliciter geſtum, factum eſt.

z) Diſſ. ſur le culte, que les anciens ont rendu a la Deeſſe de Santé, p. 11.

a) Livius Libr. IX. c. 43. Libr. X. c. 1.

§. 245. Hygeam tamen antiquis temporibus apud Romanos fuiſſe cultam, Suetonius *b*) docet, qui Auguſtum ſalutis augurium, quod ex antiquis caeremoniis fuerat, & paullatim abolitum, reſtituiſſe refert. Multa quoque alia numina medicinae cauſa a Romanis culta ſunt. Febri Deae fanum Romani dedicaverant. Erant iis numina, quae alios vexarent, alios a morborum vexa liberarent, Sylvanus, Intercidona, Pilumna, Deverra, Averrunca, caet. Publica ſaeviente calamitate, peſtilentia, aliove morbo populari, qui ſub coelo Romano frequentior erat, Decemviri Sibyllinis libris inſpiciendis conſtituebantur, ſupplicationes edicebantur, clavus dextro lateri Jovis Capitolini templi figebatur, caet.

b) Sueton. in Octav. c. 31. cf. de hoc. augurio Dio Caſſius L. XVII.

§. 246.

§. 246. Medicinas in publicis calamitatibus a Diis in primis esse quaesitas, ex his perspicitur. Medicos vero ad easdem in vsum esse vocatos, ex Dionysio Halicarnassensi *c*) intelligitur, qui, si, quod vero non absimile est, quoniam vterque eadem refert, Thucydidem imitatus non est, medicos & domestica auxilia in pestilentia anno U. C. CCLXXXII & CCCI. non suffeciisse Romanis refert. Sed popularis morbi auxilium Romanorum gens certe a medicis non petiit, verum omnium more, quae in naturali scientia non multum progressae fuerunt, a Deorum numinibus. Neque adeo Galeni temporibus pestilentiae medicina a medicis quaesita est. Diuturnis vero morbis sobrius, bello, laboribus duratus homo obnoxius non est, & talis donec fuit Romanus civis, medico non indiguit.

c) Dionys. Halicarnass. antiq. Rom. L. IX. p. 599. L. X. p. 677.

§. 247. Neque medicinam Romani habere potuere talem, qualem Graeci prius, quam consuetudinem haberent cum Graecis. Non enim facile his temporibus Graeci medici patriam terram reliquerunt, omni cultus abundantia florentissimam, vt apud gentem salutem suam experirentur, quam rudem, barbaram, omnis cultus expertem esse putabant, quae quoque ab iis medelam morborum, qua non indigebat, vix accepisset. Attamen habuere Romani & ante sexcentos

centos annos illos, quibus ſine medicis fuiſſe dicuntur, medicinam ſuam domeſticam. M. Porcius Cato, qui anno U. C. DCIV vivere deſiit, Graecis ſummopere infenſus, quos (vates cecinit, quae & evenerunt) ſuis literis dixit, ſua luxuria corrupturos omnia, ipſe librum ſcripſit, & quidem praecepta morbos per diaetam aut incantationes ſanandi continentia. Hinc Plinius his DC annis, quibus Romani medicis caruerunt, morbos domeſtica medicina, braſſica, beta, ſanaſſe refert *d*).

d) Plinius Libr. XX. c. 9. cf. M. Porcius Cato de re ruſtic. c. 156. Vol. I. p. 73. ed. Bipont.

§. 248. Graecorum medicina primum per Archagathum, Lyſaniae filium, Romam translata eſt. Is L. Aemilio & M. Livio Coſſ. U. C. anno DXXXV Romam venit e Peloponneſo, datoque ei Quiritium jure emptaque ob id taberna in compito Acilio publice, medicinam, inprimis chirurgicam, exercuit, hac laude, vt vulnerarius diceretur. Verum mox, ob vrendi ſecandique ſaevitiem, nomen ejus in carnificem & in taedium ars, omnesque ſimul medici, tranſiere *e*).

e) Plinius L. XXIX. c. 1. cf. meam proluſionem de Antonio Muſa, Auguſti medico, Altorfii, 1786. pag. 1.

§. 249. Etſi quidem quaenam fata medicina Romae habuerit poſt Archagathum depulſum, vſque ad Aſclepiadis tempora, neſcimus, neque mul-

multos ſtatim poſt Archagathum medicos Graecos Romae fortunae ſuae periculum feciſſe credendum eſt, notus tamen erat Catoni, quod oratio ejus ad filium probat, Graecorum medicorum mos, & cum ipſe interdixit filio de medicis, quosdam ſaltim Graecos medicinam Romae exercuiſſe ejus temporibus exiſtimandum eſt, quos, vt ſuſpectos filio populoque faceret, juraſſe dixit, barbaros omnes, adeoque etiam Romanos, necare medicina *f*). Summa itaque, qua valuit Cato apud Romanos, auctoritas effeciſſe videtur, vt vix laete creverit penes Romanos Graecorum medicina, vt vero tamen medici Graeci Romanis poſt haec tempora non penitus defuerint. Verum paulo poſt Catonis exceſſum, anno circiter U. C. DCLXX Aſclepiades e Bithynia Romam venit, cum quo tempora medicorum Graecorum Romae aegris medentium ſcholasque medicos in hac vrbe habentium incipiunt.

f) Plinius L. XXIX. c. 1.

§. 250. Longum itaque temporis ſpatium, quo Romani poſt Archagathum medicis Graecis caruere, non eſt. Et in hoc temporis ſpatium ab anno U. C. DXXXV vſque ad annum DCLXX famoſa iſta lis de medicorum Romae degentium conditione cadit. Sunt nempe, qui omnes medicos, ad Julii Caeſaris vſque tempora, ſervilem conditionem habuiſſe apud Romanos exiſtimant g): ſunt

ſunt vero etiam, qui medicos ab hac ſervitii infamia omni opera data liberare ſtudeant *h*).

g) Corn. Agrippa a Nettersheim de vanit. ſcientiar. c. 83. Janſ. ab Almeloveen invent. nov. antiq. §. 4. p. 12. Conyer Middelton de medicorum apud Romanos degentium conditione p. 10. (Boeckelmann) Medicus Romanus ſervus LX ſolidis aeſtimatus. Lugd. Bat. 1671. 8.

h) Drelincourt Op. P. II. p. 408. Spon recherches ſur l'antiquité p. 441. Lampe de honoribus & privilegiis medicorum cap. II. §. 24. ſeq. p. 90. ſeq. Vinck in amoenitat. philolog. medic. c. II. §. 5. p. 122 ſeq. J. C. Schlaeger de medicorum apud veteres Romanos conditione Helmſtad. 1740. 4. Richter diſſ. priſca Roma erga medicos ſuos haud iniqua Gott. 1764. & in Opuſc. Vol. II. p. 402. vid. quoque quae ego hac de re diſſerui in progr. de Antonio Muſa p. 1. ſeq. Scriptores vtriusque partis recenſet copioſe Hallerus in Boerhaav. method. ſtudii medic. pag. 974 & 993.

§. 251. Fuiſſe Romae his temporibus medicos ſervilis conditionis negari non poteſt, neque qui plurimos medicos ejus conditionis fuiſſe adſerunt, facile per hiſtoriam confutari poſſunt, ſi ſervitium medicorum dicto temporis ſpatio comprehendunt. Neque enim Graeci ingenui ante ea tempora, quibus Romanorum imperium per Graeciam dilatatum eſt, frequenter Romam venerunt, vt ingenii ſui quaeſtum facerent, neque de Graecorum medicina ante Aſclepiadem Romani bene exiſtimarunt. Verum bello capti, aut alio modo in ſervitium adacti Graeci, ſi medici erant,

heri & familiae corpora curabant. Neque facile heri erant, qui in tanta ſervorum copia medicos non haberent, minus tamen ad morbos ſanandos, ſed potius ad alia corporis ſervitia praeſtanda, frictionis, vnctionis, balneorum, auxiliorum ad externos laeſiones. Talesque ſervos Romani non priſcis ſolum temporibus, ſed etiam recentioribus, habuere.

§. 252. Sed poſtquam Romanorum civitas divitiis opibusque valentior erat facta, multi Graecorum ſe Romam, quaeſtus faciendi cauſa, contulerunt *i*), in iisque, cum ſenſim medicae artis neceſſitas apud Romanos invaleſceret, etiam medici. Hi ingenui fuerunt, & ſi etiam jus Quiritium adepti omnes non ſunt, tamen Romae ingenui vixerunt, & partim Graecis literis ſcientiisque docendis, partim medicina exercenda vitam in vrbe tranſegerunt.

i) Cicero in orat. pro Archia poet.

§. 253. Et in his quidem Aſclepiades (§. 188-203) fuit, ſummus vir, neque vlla ſervitii nota famoſus, qui ſcholam medicorum Romae primus inſtituit, cui praeeſſe non potuiſſet, ſi ſervilem vitam egiſſet, quo etiam permulti e nobiliſſimis Romanorum medico & familiari vſi ſunt. Cum eoque viro Romanorum medicina, quae antea pauca fuerat, incipit, & quidem, quod ſummam merito movet admirationem, omnia, quae poſt hunc virum, ad Galenum vſque in medicina acciderunt,

runt, Romae, & quidem non per Romanos, ſed per Graecos medicos ibi degentes, acciderunt. Aſclepiade auctore medicinae methodicorum initia Romae nata ſunt: principes methodici, Themiſon atque Theſſalus, Romae floruerunt: ſchola methodicorum praecipua Romae fuit: pneumaticorum ſecta Romae nata eſt, floruit, eſſe deſiit. Eraſiſtrati ſectatores Romae, Galeni adhuc temporibus, ſuas ſcholas habuere, quae quoque aliis ex dogmaticorum grege non defuerunt. Medicamentorum ſcriptores praecipui Romae vixerunt. Sectarum paene omnium contentiones, poſt Aſclepiadem, Romae agitatae ſunt. Ut adeo, ſi Alexandriam excipis, vix multas vrbes extitiſſe poſt Aſclepiadis tempora in Graecia putes, in quibus medicina fuerit, & quidem per diverſas ſectas diverſo modo tradita. Quae omnia ſane non per ſervos fieri potuerunt, ſed per ingenuos viros, Romae degentes.

§. 254. Sed Romanus populus, in artibus accipiendis caeterum haud lentus, medicinam parum coluit, rectеque Plinius dixit, ſolam hanc artium Graecarum nondum exercere Romanorum gravitatem in tanto fructu, pauciſſimos Quiritium eam attigiſſe & hos ipſos ſtatim ad Graecos transfugas. Imo auctoritas aliter, quam Graece, medicinam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque Graecae linguae, non erat, minus credentes, quae ad ſalutem ſuam pertinent, ſi

intelligerent *k*). Indeque non mirandum eſt, Julium Caeſarem, poſt Civilium bellorum calamitates & LXXX millibus civium in transmarinas colonias diſtributis, omnes medicinam profeſſos, quo lubentius & ipſi vrbem incolerent, caeterique appeterent, civitate Romana donaviſſe *l*).

k) Plinius L. XXIX. c. 1.

l) Suetonius Jul. c. 42.

§. 255. Neque alia medicinae Romanae facies Auguſti temporibus fuit. Erant iis temporibus Romae medici ingenui Graeci, erant vero & ſervi, qui medicinalia officia dominis familiaeque praeſtabant (§. 251.). Ipſe Auguſtus ſervum medicum habuit *m*): habuit vero etiam medicum amicum *n*). Libertus Auguſti erat Antonius Muſa, Graecus origine, ex methodicorum ſecta *o*), qui Auguſto, pertinaci arthritica deſtillatione afſecto, anteaque per laxantia, methodicorum more, curato, contraria medicina, frigida nempe & ſtringente, ex ejusdem ſectae mente, ſanitatem reſtituit eoque modo effecit, vt ipſo, Themiſone, Vectio Valente & Chramide Maſſilienſi auctoribus, frigidorum balneorum vſus adeo percrebreſceret, vt Romani ipſa hyeme ſenes conſulares ad oſtentationem vſque rigentes non raro viderent *p*). Praemia curationis ab Auguſto & ſenatu Romano accepit Muſa pecuniam multam, ſtatuaque ei, aere collato, in foro, juxta ſignum Aeſculapii, decreta eſt. Annuli aurei jus equeſtris-

ſtrisque ordinis dignitatem ab Auguſto accepit, quod vero, quia ſoli Muſae conceſſum fuit, reliquorum medicorum non fuit, neque artem exercentium dignitatem augere potuit *q*).

m) Sueton. Calig. c. 8.

n) vid. Progr. meum de Antonio Muſa, §. 3. p. 8.

o) Plinius L. XXIX. c. 1. Dio Caſſius L. LIII. p. 517. ed. Leunclav. vid. meum progr. §. 4. p. 10.

p) Plinius L. XXIX. c. 1.

q) vid. meum progr. de Ant. Muſa §. 6. p. 15. ſeq.

§. 256. Praeter jusjurandum Hippocratis, quod vix in omnibus medicorum ſcholis valuiſſe exiſtimandum eſt, Graeci legem non habuere, quae medicos adſtringeret. Neque Plinii temporibus apud Romanos lex erat, quae medicorum inſcitiam, quae ſumma erat his temporibus, puniret, nullum exemplum vindictae. Ut quisque inter Graecos loquendo pollebat, imperator iſico vitae necisque fiebat. Sed munerum civilium vacatio, quam Auguſtus medicis omnibus, vt gratiam eis ſanationis, ab Antonio Muſa peractae, referret, tribuerat *r*), quaeque, vna cum quaeſtus ſpe, quam his temporibus non exiguam Romae fuiſſe Plinius per exempla *s*) probat, medicorum infinitum paene numerum Romam in vrbesque Romanorum imperio ſubditas traxit. Cujus vacationis moleſtia cum ob multitudinem ea gaudentium in reliquos cives acerbius caderet, lege ab imperatoribus data, medicorum numerus, qui vacatione a publicis muneribus gauderent,

conſtitutus eſt. Quod ab Antonino Pio, lege, quae adhuc ſupereſt, data, factum eſt: factum vero jam a Nerone eſſe, titulus archiatri docet, quem Andromachus, Neronis medicus, habuit. Is enim titulus iis dabatur medicis, qui legis auctoritate ex numero immunium a muneribus publicis erant. Circumciſus hoc modo medicorum immunitate gaudentium numerus effecit, vt, qui ei adſcribi volebant, immunitatem, cum eaque junctum archiatri titulum non acquirerent, niſi prius de eorum virtute conſtitiſſet. Eoque modo duae claſſes medicorum natae ſunt, probatorum, ſive archiatrorum, qui annonas publicas habebant & ſtipendia annua gaudebantque immunitate a publicis muneribus, quorumque numerus, pro vrbium magnitudine, lege ſtabilitus erat, & eorum, qui non probati erant, neque hac vacatione gaudebant. Eaque prima legum medicinae & medicorum cauſa latarum monumenta ſunt *t*).

r) Dio Caſſius L. LIII. p. 517. ed. Leunclav.

s) Plinius L. XXIX. c. 1.

t) Rem vberius expoſui in illuſtratione legum antiquiſſimarum, quae ad medicinam ſpectant, quae extat in libro a Cl. Pyl edito: Repertorium für die öffentliche und gerichtliche Arzneywiſſenſchaft. Vol. II. P. II. p. 167.

§. 257. Medicina caeterum etſi Romae tantopere floruit, vt neque de reliquae Italiae, neque de Graecorum medicina horum temporum multa ſuper-

ſuperſint, hisque temporibus duo quaſi emporia medicinae extitiſſe putandum ſit, Romam atque Alexandriam, tamen pauciſſimi Romanorum eam ſcriptis pertractarunt. Primus, isque nobiliſſimus medicinae inter Romanos auctor Aulus Cornelius Celſus eſt, ingenuus vir, qui temporibus Auguſti vixit, quod probavit copioſiſſimis argumentis Lud. Bianconius *u*). Scripſit Celſus, & quidem puriſſimo Romanorum ſermone, quo nullus veterum medicorum eum adſequutus eſt, encyclopaediam, in plures libros diviſam, artium titulo emiſſam. Sextus artium liber is de medicina erat, inſcriptionibus in codicibus antiquiſſimis id docentibus. Rem ruſticam & agri culturam, quam quintus liber complexus eſt, rhetoricam VII. libris pertractavit. De hiſtoria etiam, de legibus, de re militari ſcripſiſſe Quinctilianus refert. Eaque ſtudiorum Celſi multitudo multos impulit ad credendum, Celſum medicinam quidem habuiſſe cognitam, eamque ex Graecis auctoribus hauſiſſe, non vero exercuiſſe. Cui opinioni hoc argumentum accedit, quod in prioribus de medicina libris, qui ſoli de artium libris ſuperſunt, praeter praecepta diaetetica generalia, qualia cuique ſcire intereſt, fere omnia ex Hippocrate tradidit, librum quoque de medicamentis ex aliis concinnavit, neque vnquam in libris ejus proprii experimenti nota vel leviſſima occurrit: repugnat vero accurata morborum, medelarum, eorum-

que, quae chirurgi manus facere debet, deſcriptio, vt, ſi non exercuerit medicinam, ejus ſaltim peritiſſimus dicendus ſit. Fuitque, quod Bianconius probavit, his temporibus Romanis mos, vt cum plurimis rebus ad doctrinam pertinentibus medicinae etiam ſtuderent.

u) Bianconii epiſt. de Celſi aetate p. 51. cf. de Corn. Celſo Jo. Alb. Fabricii biblioth. latin. cura Jo. Aug. Erneſti L. II. c. 4. t. II. p 36.

§. 258. Libri ejus octo de medicina quum primi ſint, qui poſt Hippocratis tempora ſcripti ad nos pervenerunt, partim ideo memorabiles ſunt, quod multa ex Graecis, Hippocrate, Aſclepiade, rel. verſa continent, partim quod, quid medicina a temporibus poſt Hippocratem profecerit, demonſtrant. Praefatio hiſtoriae medicae, praeſertim ſectarum, compendium continet egregie elaboratum. Quae ad medicinam proxime pertinent, maximam partem ex aliis deſumta ſunt, ita vt Aſclepiadem, a cujus placitis tamen ſubinde decedit, ſequi maxime videatur. Chirurgiam perfectiſſime tradidit, ſolumque, quo vſus ſit, Hippocratis de capitis vulneribus librum nominat. Sententiam ſuam cum frequenter interponat, chirurgiam eum exercuiſſe credibile eſt. De calculo ſecando tam bene ſcripſit, vt vix ita ſcribi potuiſſe de eo, niſi ab exercitato Fabricius Hildanus jam dixerit. Parvus apparatus, quem deſcribit, hodie adhuc in vſu eſt.

§. 259.

§. 259. Claudii temporibus medicamentorum auctor Romae vixit, Scribonius Largus Defignatianus *x*), qui corrafis undique formulis operaque data maxima, vt eas genuinas acciperet, librum fcripfit, compofitionum medicarum titulo. Ipfe medicinam fecit aegrotantibus, empiricorum caftra fequutus. Graece eum fcripfiffe vix exiftimandum eft.

x) vid. Cl. Bernhold in praef. ad Scribonii editionem ab eo profectam, anno 1786. & inprimis Jo. Rhodii not. ad Scribon. p. 3. feq.

§. 260. Ad fcriptores quoque de medicina nobiliffimos, in primis rei medicamentariae, & non vno quidem nomine, pertinet Cajus Plinius Secundus, Veronenfis, aut, vt rectius quidam putaverunt, Novocomenfis. Natus fub Tiberio, anno poft Chriftum XXIII, ftipendia meruit fub Claudio in Germania: fub Nerone & Vefpafiano varia munera publica adminiftravit, procurator primum in Hifpania, deinde praefectus claffis Mifenenfis. Epicurum in philofophia fequutus, diligentia incredibili & eruditione admiranda, poft elaborata plurima immortalitate digniffima volumina, cum Mifeni agens ad Vefuvium montem, fumum & ignes evomere incipientem, cognofcendae rei cupiditate propius acceffiffet, ex fumo nubis, e monte ortae, fpiritu obftructo clauſoque ftomacho, obiit Tito imperatore, anno poft Chriftum LXXX *y*).

 y) Plinius

y) Plinius junior epiſt. L. VI. 16 & 20. Fabricii biblioth lat. cura Erneſti L. II. c. 13. t. II. p. 179. ſeq.

§. 261. Hiſtoriam naturalem ſcripſit, libris XXXVII comprehenſam, opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſa natura, quod ex libris vltra MM Graecorum latinorumque compoſuit. Libri a VII vſque omnes ad medicinam pertinent, vſque ad XXXVI, quum in his de homine agat, omnibusque, quae in natura reperiuntur, quatenus aut noxam, aut vtilitatem adferunt. De herbarum, animalium virtute medica nullus fere auctor, qui ad nos pervenit, tam plene egit, ab omnibus quoque, qui eum exceperunt, medicamentorum ſcriptoribus, diligenter exſcriptus. In Romanorum medicinae hiſtoria ſcribenda vnicus auctor extitit.

§. 262. Et haec fere ſunt, quae de Romanorum medicina ſcimus, quaeque probant, Romanos etiam in medicina, vt in reliquis diſciplinis, Graecos penitus eſſe ſequutos, neque etſi per aliquot ſaecula principes medici Romae vivebant, & fere omnis Romae medicina erat, quidquam per Romanos in medicina eſſe inventum, aut mutatum.

Caput XX.

De medicina, qualis ante Galenum fuit.

§. 263. Qualem invenerit medicinam Claudius Galenus nunc memorandum eſt, vt eo melius

lius intelligatur, qualem ille reliquerit. Medicorum tres erant ſectae, dogmaticorum, qui in varias partes tranſibant, empiricorum, methodicorum. Pneumaticorum ſecta jam extincta erat, cum Galenus libros ſcriberet. Epiſynthetica, quae vix ſectae nomen meruit, cum pneumaticorum ſecta nata eſt & eſſe deſiit.

§. 264. Dogmatici a primo ſectae ſuae fundamento, abditarum cauſarum ſcrutinio, quidem non receſſerunt, neque in iis ſtabiliendis a primis ipſius ſectae auctoribus: ſed multa mutata quoque ſunt in ipſis his abditis cauſis per philoſophorum ſyſtemata, (vt de Empedocle, cujus doctrinae Galeni adhuc temporibus multum valebant, ſileam) partim Platonis, Ariſtotelis, partim Epicuri atque Zenonis, Stoicorum principis: & quidem hoc modo, vt principia dogmaticorum antiquiſſimorum ſtatuerentur quidem prima, eorum vero & explicatio & applicatio eſſet multiplex, vtque nunc medicinam dogmaticorum, quae apud primos auctores ſimplicitate non carebat, definitionum, diſtinctionum, explicationum, ſubtilitatum plenam reperiamus.

§. 265. Medicinae vero diſciplinae quaedam, quas dogmatici fere ſoli ſibi vindicaverant, interea cultae laetiſſime efflоruerant. Anatome regum Ptolemaeorum, praeſertim Lagi F. & Philadelphi, nec non Attalicorum patrocinio & proprio ſtudio adjuta atque Alexandriae, vbi celeberri-

berrima tempore Ptolemaeorum, & poſt eos, ſchola medicorum erat, in primis culta, ſummopere increvit, ita tamen, vt poſt antiquiſſimorum anatomicorum tempora (§. 127.) Eraſiſtratumque (§. 138.), vſque fere ad Rufum Epheſium, qui Trajani temporibus vixit, (ann. poſt Chriſt. 98—117) parum, ab hoc vero viro eumque excipientibus Marino, Quinto, Lyco, Satyro, Numeſiano, multum augmenti acceperit. Quorum virorum libri quod interciderunt, excepto Rufi libro de partium corporis humani appellationibus, in quo internarum partium anatome ſtudio non valde ſubtili pertractata eſt, quaedam tamen, oculi anatomes exemplo *z*), ſatis ſubtiliter expoſita ſunt, ex hoc liquet, partium internarum ſtructuram in humanis cadaveribus Rufi temporibus non eſſe oſtenſam, verum in animalibus, quorum ſtructura humanae ſimillima eſſet *a*).

z) Clinch de Rufo & Rufi ſcriptis differt. §. 4.

a) Rufus Epheſ. de partium corp. hum. appellationib. p. 23. ed. Clinch.

§. 266. Sed Marino inprimis auctore, qui totum vitae ſuae tempus in cadaverum diſſectionibus conſumſerat *b*), quemque Galenus, etſi vitioſe & minus plene, neque lucide ſatis ſcripſiſſe refert *c*), tamen magni aeſtimavit *d*), & Numeſiano, anatome ſubtilius culta eſt, ita vt fere ſtupeant attenti Galeni lectores, poſt anatomes, praeſertim ſubtilioris, poſt Eraſiſtratum tam pauca veſti-

veſtigia, poſt ſoporem, quo ſepulta ad horum vſque virorum tempora jacuit *e*), in ejus libris anatomen provectiſſimam & ſubtiliſſime cultam reperientes. Sed ad Galeni tempora vſque ipſa haec magis exculta anatome parum contulit ad θεωρίαν dogmaticorum aut certiorem reddendam, aut multiplicandam. Neque ad empiricorum placita mutanda vllo modo influxit, vt adeo demum a Galeni inde temporibus, & hoc quidem auctore, vtilem ſe medicinae exhibuerit.

b) Galen. de adminiſtr. anat. L. VII. c. 10. t. IV. p. 158.
c) Galen. de adminiſtr. anat. L. II. c. 1. p. 46.
d) Galen. de ſemine L. II. c. 6. t. III. p. 227.
e) Galen. comm. II. in Hipp. de natura humana text. 6. t. III. p. 137.

§. 267. Pathologia ea, quae in morborum cognitione verſatur, eorumque hiſtoria, etſi quidem parum per dogmaticos incrementi accipere potuit, & ab his latentis cauſae, ab empiricis vero medicamentorum gratia tractata eſt, tamen novis multis morbis, praeſertim cutaneis, maxima parte ex Aegypto in alias regiones translatis, aucta eſt, de quibus infra, a Galeno quippe & medicis poſt Galenum primum deſcriptis, ſermo erit. Res vero medicamentaria ab empiricis potiſſimum culta, ab his ad dogmaticos omnesque ſectas reliquas cultior defluxit, & per rationales etiam medicos aucta eſt. Ad quod praeter alias cauſas etiam venenorum numerus multiplicatus & veneficiorum contulit, effecitque vt principes

&

& opulenti viri, venenorum pericula metuentes, medicos ad antidota aliaque medicamenta invenienda concitarent. Alia cauſa populi pauperies fuit, omni ſcilicet pecunia apud principes optimatesque congeſta, pretiumque magnum & medicinarum, & medicinalis auxilii. Quae effecerunt, vt in vulgi gratiam libri ſcriberentur, qui medicamenta paratu facilia, vilioris, aut nullius pretii, pauperibus amica ad morbos continerent.

§. 268. Ad hos vero de medicamentis ſcriptores, praeter memoratos (§. 178 & 179.), Jolas Bithynus, Andreas, Julius Baſſus, Niceratus, Petronius, Niger, Diodotus pertinent, qui omnes ante Dioſcoridem vixerunt *f*), & quorum libri interierunt, nec non, cujus libri adhuc reſtant, cum Dioſcoride illo, qui eodem modo, quo Artemidorus Capito, Hippocratis libros, Adriano imperante, ediderat, non permutandus, Dioſcorides Anazarbeus, clariſſimus medicus, qui Neronis aevo floruit & poſt longam per Europam Aſiamque peregrinationem, primus de vniverſa materia medica ſcriptor extitit, in qua ita verſatus eſt, vt poſt, ejus tempora medicinalis materiae auctores omnes eum ſint imitati, tam in naturali medicamentorum hiſtoria perſcribenda, quam in viribus eorum enarrandis. Plantas deſcripſit, vt non paucas facile cognoſcas, alias minus, vnde immenſae lites ortae ſunt, quas demum deſperatio compoſuit *g*). Vires medicinarum

rum medicas ex dogmaticorum mente tradidit, eas opinioni de quatuor in corpore humano qualitatibus & de quatuor humoribus accommodans. Hinc alterantia medicamenta omnia ad calefacientium, refrigerantium, humectantium, ſiccantium claſſem redegit: vim ad adſtrictionem & relaxationem methodicorum cauſa addidit: purgantia ad humorem, quem ſingula educere putabat, retulit. In virtutibus vero medicamentorum ad ſingulos morbos enarrandis empiricorum more egit, nulloque cauſarum aut latentium, aut manifeſtarum facto diſcrimine, medicamenta ad morbos commendavit, in quo medici, non ſine ipſius ſcientiae damno, ad noſtra fere vſque tempora, eum ſequuti ſunt.

f) Dioſc. praef. ad L. I. p. 1. ed. Goupyl. Pariſ. 1549. 8.
g) Haller bibl. botan. L. I. c. 26. T. I. p. 79.

§. 269. Perfectiſſime de medicamentis ſcripſiſſe Dioſcoridem jam Galenus monuit. Scripſit vero de materia medica libros V, in quibus vniverſae naturae regna, in primis vegetabile, complexus eſt, deinde περὶ δηλητηρίων φαρμάκων, vbi Nicandrum potiſſimum ſequutus eſt, nec non περὶ ἰοβόλων librum, in quo ſimul de canis rabioſi morſu egit, aliumque de curatione morſorum ab animalibus venenatis, qui libri in quibusdam editionibus VI VII & VIII materiae medicae librum efficiunt. Scripſit quoque paratu facilium medicamentorum libros II, ſine dubio genuinos,

cum

cùm jam ab Oribaſio ſub Dioſcoridis nomine citentur.

§. 270. Medicamentorum compoſitorum & antidotorum ſcientia poſt Heraclidem Tarentinum & Mithridatem culta eſt a permultis medicis, quorum ampliſſimus catalogus ex Galeni libris poſſet concinnari. Theriacae praeſertim poſt Nicandrum & Mithridatem maximo ſtudio quaeſitae ſunt. Erant quidem ante Andromachum ipſius Mithridatis, Cratevae, Dioſcoridis theriacae *b)*, quàe vero omnes in tanta exiſtimatione non fuere, quanta Andromachi, patris, antidotus. Is, Neronis medicus, primusque archiatri titulo diſtinctus (§. 256), Mithridatis antidotum ita mutavit, vt, quibusdam abjectis, quibusdam vero, viperina praeſertim carne, additis, & ad viperarum morſus, & ad alia venena aliis antidotis omnibus praevalere crederetur. Tanta enim ei vis adſcripta eſt, vt medici eam quotidie ſumentibus ſecuritatem contra venena omnia promitterent. M. Aurelius Antoninus, qui hanc theriacen in ſui corporis tutelam ſingulari ſtudio, in propria domo ad praeparationem apta, praeparari juſſerat, de ea quotidie fabae magnitudine ſumebat. Cum ob papaveris ſuccum, quem continet, inter quotidianas actiones ſopore corriperetur, medicamentum ſine eo parandum curavit: cum vero deinde noctes, ob exſiccationem a medicina inductam, inſomnes ageret, eum iterum

adjici

adjici juſſit *h*). Tanta fuit ejus medicamenti opinio, vt ne mala quidem per id inducta homines ab ejus vſu deducerent.

h) Galen. de antidot. L. I. c. 1. t. XIII. p. 866.

§. 271. Haec Andromachi theriaca maximi quidem vſus apud veteres fuit, imo noſtro adhuc tempore in medicamentorum officinis eodem, quo Andromachus praeceperat, modo praeparata proſtat: plures vero quoque aliae antidoti veteribus erant celebratiſſimae, titulis vanis ſuperbientes, Philonis, Damocrati, aliaeque permultae, de quibus Galenus integrum librum ſcripſit. Harum, vt & aliorum medicamentorum compoſitiones, ſi prolixae erant & difficiles memoratu, verſibus enarrare mos erat, quos ad medicinarum & menſurae memoriam commodos eſſe putabant *i*).

i) Galen. de compoſit. medicamentor. per genera L. V. c. 10. t. XIII. p. 789.

§. 272. Scriptorum de medicamentis, qui poſt Corn. Celſi tempora floruerunt, numerus fere infinitus eſt. Eminuere in iis, praeter dictos, permultosque alios, quos Hallerus *k*) citat, Crito, Xenocrates, cujus de victu ex aquatilibus libellus adhuc extat, Aſclepiades Pharmacion.

k) Haller in biblioth. med. pract. T. I. p. 167. ſeq.

§. 273. Empirici contra Galeni temporibus a majorum ſuorum placitis vehementer deſciverant. Neglectis tranſitu ad ſimile atque epilogiſmo, neglecta morboſi ſtatus & obſervatione, & compa-

ratione, omnemque in medicamentis & morborum nominibus medicinam esse existimantes, reliqua omnia, quae ad medici scientiam pertinent, non curabant. Et hae quidem medicinae non omnes naturales erant, sed permultae, quibus ad morbos supernaturalis vis tributa, aut quorum virtus in sola fide, quam iis adhibebant, constabat. Hinc medicamentorum absone compositorum tanta multitudo.

§. 274. Penes methodicos vero, a Galeno tantopere taxatos, si eos ex Caelii libro aestimare licet, & vtilior pathologia, & praxis idonea erat, vt contemplationum vim in medicinam eorum minus influxisse adeo recte aestimes. Fides tamen iis adhibita est non multa, ob levidense studium, quod ad medicinam esse necessarium vani perhibebant. Longe major existimatio dogmaticorum Galeni temporibus Romae & Alexandriae fuit: summa methodicorum Augusti temporibus fuisse videtur.

§. 275. Medicorum itaque his temporibus studia divisa erant inter causarum latentium indagationem & medicamentorum compositiones excogitandas, parcumque erat, quod medicina, vtilis homini futura, inde accipiebat emolumentum. Rixis & contentionibus partim inter sectas, partim inter medicos vni sectae addictos, in primis dogmaticos, causa multiplex ansa dabat, verum haec non ad certiorem & vtiliorem reddendam medi-

medicinam, ſed potius ad diſtinctionum, diviſionum, hypotheſium copiam augendam, & ad rigorem quendam, quem ſingulae ſectae ſervabant, quique vix permittebat, vt quae vtilia aliae habebant ſectae, collecta ad vnam redirent.

§. 276. Hippocrateos quidem dogmatici Galeni temporibus ſe dicebant, at quae praeceperat Hippocrates, negligebant. Aſtrorum ſcientiam ille neceſſariam eſſe ad medicinam exemplo docuerat, quam, cum omnibus mathematices diſciplinis, neglexerunt. Ille naturam corporis probe cognoſcendam eſſe praeceperat; hi hanc totam parvi pendebant. Ille ſummo ſtudio futuros eventus in aegrotante ex praeſentibus praeſagiebat; hi admiranda loqui putabantur, ſi ſudorem, aut ſanguinis profuſionem praedixiſſe ipſis contigiſſet *l*). De locis affectis doctrina, a nemine, Aretaeo excepto, vſque ad Galeni tempora pertractata fuerat, neque modi, quibus functiones laedi poſſunt, enarrati *m*). Nec adeo, qui ſectae cuidam ſe addictos profitebantur, prima ejus principia ſemper ſciebant. Dogmatici, empirici, methodici fiebant medici, abſciſſa velut omni propria ad cogitandum & judicandum vi, aut quia praeceptorem ex vna alteravc harum ſectarum habuerant, aut amicum: ſectae denique adſentiebantur, in qua medicus aliquis valde inclaruiſſet. Multi quoque eam ſequebantur ſectam, quae ipſis vitae ſubſidia praebebat, quibus carebant *n*). Neque ſatis prae-

parati tyrones ad medicinae ſtudium accedebant. Hippocratem multos ſui temporis medicos legere non potuiſſe, paucos intellexiſſe, Galenus notat. Multos ad medicinae ſtudium acceſſiſſe, qui ne quidem recte legere poſſent, multoque minus lecta aut audita intelligere, idem auctor narrat *o*).

l) Galen. quod optimus medic. ſit quoque philoſophus t. II. p. 3 6.

m) Galen. ars medica. c. 20. t. II. p. 213.

n) Galen. de ordine libror. ſuor. t. I. p. 49.

o) Galen. de libr. propriis t. I. p. 35.

§. 277. Multa itaque in medicina emendanda reſtabant Claudio Galeno, viro ingenii ſagacitate & acumine, obſervationis ſtudio & laborum patientia nobiliſſimo & vere immortali, vt incerta, vana, per contentiones & rixas nata, rejiceret, vtiliora vero & ad verum medicinae finem ducentia ſeligeret ex iisque novum ſyſtema medicum conderet, quod, via, quae ad errores ducit, anguſtata, veritatis viam dilataret & auguſtiorem redderet. Quumque per ipſum hunc Galenum medicina nata ſit qualis vſque ad mediam ſaeculi XVI partem & docebatur & exercebatur in Germania, in aliis vero Europae cultioris partibus diutius, ipſumque Galeni ſyſtema noſtro adhuc tempore ex medicina non ſit ejectum, cum hoc viro nova epocha incipit, medicinae ſcilicet recentioris. Quam nunc perſequar.

MEDI-

MEDICINA RECENTIOR.

PERIODUS I.

GALENUS.

CAPUT XXI.

Vita Galeni.

§. 278.

Natus eſt Claudius Galenus Pergami, Aſiae minoris vrbe, ob Aeſculapii fanum nobiliſſima, Adriano Romanis imperante, & quidem, vt videtur, anno poſt Chriſtum natum CXXXI, patre Nicone, ſenatore Pergameno, erudito viro, philoſopho, mathematico, architecto, dialectorum ſermonis Graeci in primis perito, quo quoque in his diſciplinis, praeſertim in dialectica, qua poſtea medicos Romae degentes omnes ſuperavit, praeceptore vſus eſt *p*).

p) Ren. Charterii vita Galeni c. 6. Oper. Hipp. & Galeni t. I. p. 56. cf. Labbaeus in elogio Galeni Pariſ. 1660. 8. & in Fabricii biblioth. Graec. L. IV.

§. 279. Philoſophiam didicit primum Stoicorum, dein Platonis, poſtea Ariſtotelis, tandem Epicuri, ab idoneis praeceptoribus: poſtea ſomnio patris, vt quidem ipſe refert *q*), monitus, decimo ſeptimo aetatis anno ad medicinam ſe contulit.

tulit. Praeceptorem primum habuit ex Athenaei, pneumaticorum ſectae conditoris (§. 234.), auditoribus; quem vero, imperitum hominem, & dialecticae ignarum, mox deſeruit. Ab hoc ad Quinti, magni horum temporum medici & clariſſimi inciſoris (§. 265.), diſcipulos ſeſe contulit, Satyrum, Pelopem, Numeſianum, Phecianum, qui partim Pergami medicinam docebant, partim in aliis oppidis, Pelops enim Smyrnae, Numeſianus Corinthi docebat. Hi omnes viri ex rationalium ſecta erant & ſe Hippocratem ſequi profitebantur, quod ad conſilium Galeni Hippocrateae medicinae reſtituendae ſine dubio contulit. Uſus eſt praeterea in medicina Stratonico, Sabini auditore, Albino Platonico, Lucio, qui Alexandriae docebat, in qua vrbe medicinae diſcendae cauſa diutiſſime commoratus eſt. Audivit enim in ea medicos ex ſectis omnibus, vt ex ſingularum diſciplinis optima quaeque poſſet ſeligere.

q) Charterius in vita Galeni c. 9. p. 60.

§. 280. Poſtquam medicinae praeceptis fuerat imbutus, per multas Europae & Aſiae regiones peregrinatus eſt. Petiit, medicamentorum in natali ſuo ſolo cognoſcendorum atque ſibi comparandorum cauſa Cyprum, Cretam, Lemnum, inſulas, Coeleſyriam, Aegypti regiones. Reduci deinde in patriam & XXVIII annos nato gladiatorum cura a pontifice Pergameno commiſſa eſt, in qua adeo felix fuit, vt omnibus, quorum nervi

vi fuerant vulnerati, quique, aliis curantibus, in periculoſa ſymptomata inciderant, ſanitatem reſtitueret.

§. 281. XXXIII annos natus, relicta, ob ſeditionem in ea exortam, patria, Romam profectus eſt ibique medicina, quae tota adhuc penes Graecos erat, exercenda quaeſtum fecit. Familiares & amicos Romae habuit Eudemum, philoſophum peripateticum nobiliſſimum, quem, quartana triplicata ex vſu theriacae immodico affectum, ejusdem medicinae vſu non ſolum a febre liberavit, ſed tempus etiam, quo a febre liber foret, praedixit, Sergium Paulum, praetorem, Barbarum, Lucio imperatori cognatum, Septimium Severum, tunc conſulem, Romanum poſtea imperatorem, Boethum, cujus vxorem, fluore muliebri pertinaci laborantem, breviſſimo tempore reſtituit.

§. 282. Poſtquam quatuor aut quinque annos Romae fuerat commoratus, invidiae medicorum Graecorum, qui Romae quaeſtum artis faciebant, & peſtilentiae, quae Italiam vrebat, cauſa, Pergamum iterum ſe recepit. Mox vero revocatus a M. Aurelio Antonino Philoſopho & Lucio Vero Aquilejam ſe contulit Romamque, ob peſtilentiae cladem, cum imperatoribus reverſus eſt. Mortuo in hoc itinere Lucio Vero, cum M. Aurelius Antoninus eum comitem & medicum in Germanico itinere habere vellet, recuſavit hoc

munus & Romae remanſit, eoque tempore, praeter permultos alios, libros de vſu partium elaboravit Commodique & Sexti, filiorum principis, curam geſſit Idem Marcum Aurelium, reducem ex Germania, cruditate ventriculi a refrigerante cibo laborantem, pipere cum vino poto & Nardino oleo ſtomacho impoſito, liberavit, theriacam etiam in principis vſum praeparavit. Tandem ſenex patriam vrbem repetiiſſe fertur. Romae vero Marco Aurelio Antonino Philoſopho, Commodo, Pertinace, & Septimio Severo, cui quoque theriacam praeparavit, imperatoribus vixit, & LXX annos natus fato functus eſt, Septimio Severo Romanis imperante *r*). Alii Caracalla imperante fato functum eſſe referunt *s*).

r) le Clerc Part. III. L. III. c. 1. p. 666.

s) Charter. vita Galeni c. 42. t. I. p. 95.

§. 283. Etſi quidem Galenus, dum vivebat & poſtquam fato functus eſt, non ſtatim in hanc exiſtimationem pervenit, vt medici ejus doctrinam penitus ſequerentur, quod per Saracenos ipſi primum contigit, tamen ab omnibus, qui eum memorarunt, maxima laude ornatus eſt *t*), qua etiam vivus floruit, ob medicinae peritiam, & philoſophiae omnis, dialecticae, geometriae, grammaticae ſcientiam. Scripſit libros vltra quingentos ad dictas diſciplinas pertinentes, quorum pars jam ejus temporibus incendio periit, quo Pacis templum Romae conſumtum eſt. Multi adhuc

adhuc in bibliothecis latent: magna tamen pars eorum ad nos pervenit, quod ſummo ſtudio adſcribendum eſt, quo Galeni medicinam Graeci medici poſt eum viventes, Saraceni, Arabiſtae & literarum medicarum in Europa reſtauratores coluerunt. Ex his Galeni libris ſyſtema medicum, quod tradidit, quodque ad Theophraſtum Paracelſum vſque vnice viguit, nunc componam.

t) Exempla vide apud Clericum Part. III. L. III. cap. 1. pag. 667.

Caput XXII.

Galeni ſyſtema medicum.

§. 284. Componere vero ſyſtema Galeni, in maximo librorum, quos ſcripſit, numero, quorum fere ſinguli ipſius partem continent, difficile eſt: neque enim vnquam Galenus ſyſtema ſuum in epitomen redactum propoſuit, niſi quod ad practicam medicinam pertinet, in libro de arte medica, qui liber ideo quoque vſque ad ſaeculum XVI imo XVII is fuit, quo duce tyrones in medicina potiſſimum inſtituerentur *u*). Qui vero liber quoniam ea tantum ſuccincte enarrata continet, quae ad cognitionem ſalubrium, inſalubrium, neutrorum, ad eaque ducunt, quae practicam medicinam efficere docuit, medici etiam, qui Galenum ſequebantur, eum minus in aliis ſyſtematis ſui partibus, penitus vero in iis ſequuti ſunt, quae in hoc de arte libro propoſuerat.

Hinc Galeni ſyſtema medicum neque ex hoc tantum ejus de arte libro eruendum eſt, neque ex libris eorum medicorum componendum, qui Galenum ſequuti ſunt: hi enim non vniverſam Galeni doctrinam, ſed ea tantum, quae in ejus de arte libro continentur, expoſuerunt *x*).

u) Tyronum in medicina theoretica omnis inſtitutio erat, prius, quam Leon. Fuchſio praeſertim auctore, medicinae compendia ad eam adhiberentur, vt praeceptorem librum hunc Galeni, quem *tegni* vocabant, Hippocratis aphoriſmos & capita quaedam ex Avicennae canone explicantem audirent. Vid. meam ſtudii medici Salernitani hiſtoriam, in edit. regim. Salernitani Stendal. 1790. p. 79. Praxis medica ſecundum nonum librum Rhaſis ad Almanſorem docebatur.

x) Ad optimos ſcriptores, qui Galeni placita expoſuerunt, referendus eſt Barchuſen diſſ. XVI. de Galeni placitis p. 246. Multa quoque collegit de Galeni placitis, maxime tamen ex libro de arte, Clericus P. III. L. III. cap. 2. 3. 4.

§. 285. Neque etiam ex ipſis ejus libris intelligi poteſt, num vniverſum, quod condidit, ſyſtema, primus condiderit, neque, ſi, quod credibile magis eſt, partes tantum ſyſtematis perfecit, easque recte componendo vniverſae medicinae novam formam dedit, quas partes in ſyſtemate dogmaticorum, qui ante eum extiterant, intactas & immutatas receperit, quasnam vero alias, & quo modo mutaverit. Etſi enim, quod jam ex ratione ipſa apparet, qua medicinae operam

ram dedit (§. 279.), nulli ſectae addictus eſſe voluit, neque dogmaticus, neque empiricus nominari, ſed is dici, qui ex ſingulis ſectis optima quaeque elegiſſet; tamen dogmaticis plane adnumerandus eſt, non ſolum quod abditas cauſas ſtatuebat, ſed quoque, quod, vt ad has cauſas perveniret, ratiocinio vtebatur. Maximam hinc ſyſtematis ſui partem ad dogmaticorum mentem compoſuit; ſed quae minus apud dogmaticos, qui eum anteceſſerant, cohaerere erant viſa, ita contexuit, vt quae (ſi ex fragmentis ab eodem potiſſimum Galeno ſervatis judicium ferre licet) disjecta antea videbantur, neque vniverſam ſcientiam comprehendere, nunc optime cohaererent, ita, vt alterum ex altero quaſi proflueret. In eoque ejus ſyſtema omnia, quae ante eum fuerant tradita, longe ſuperavit: neque adeo poſt reſtauratas ſcientias, poſt phyſices ſcientiam, anatomen longe perfectiorem, poſt obſervationem eorum, quae in ſano aegroque corpore eveniunt, in immenſum multiplicatam, vllum ad noſtra vſque tempora in medicina ſyſtema conditum eſt, quod non Galeni ſyſtema, ſaltim in quibusdam partibus, referat.

§. 286. Etſi quidem eclecticus dici maluit, tamen ſe rationalem diſciplinam eſſe amplexum probavit, cum profiteretur ſe Hippocratis medicinam velle reſtituere eamque non immutare, ſed haec tantum illuſtrare, quae obſcura Hippocra-

tes

tes dixiſſet; explicare vero atque dilatare, quorum prima fundamenta ab Hippocrate eſſent poſita *y*). In quo notandum eſt, eum doctrinam Hippocratis, quae in genuinis ejus libris proponitur, quidem eſſe ſequutum, minus tamen in eo, vt morborum hiſtorias eadem cura, qua Hippocrates *z*), proponeret, magis vt ſignis in morbis eandem dignitatem tribueret, quam Hippocrates. Verum ex libris Hippocratis ad contemplationem pertinentibus quosdam pro iis habuit, qui aut Hippocratem auctorem haberent, aut ejus doctrinam continerent. Librum inprimis ex hoc genere medicinalium antiquiſſimum de natura humana Hippocratis doctrinam referre exiſtimavit *a*), & ex contemplatione, quae in illo continetur, fundamenta deſumſit, quibus ſuum ſyſtema ſuperſtruxit, in hoc quidem cum antiquiſſimis dogmaticis, qui idem fecerant (§. 128.), comparandus.

y) Hae quoque cauſae eum moverunt, vt Hippocrateos libros permultos commentariis illuſtraret, librum de natura humana, de aere, aquis & locis, de ſalubri diaeta, de alimento, de humoribus, prognoſticon, praedictionum librum primum, epidemiorum librum I. II. III. VI. aphoriſmos, de diaeta in acutis, de officina medici, de fracturis, de articulis.

z) Quod notavit etiam Hallerus biblioth. medic. pract. Tom. I. p. 229.

a) Galen. Comm. I. in libr. Hippocr. de natur. human. t. III. pag. 9 r. ſeq cf. Fabric. biblioth. Graec. ed. Harleſ. L. II. cap. 23. §. 25. n. 34. T. II. p. 582. ſeq.

§. 287.

§. 287. Rationem & experientiam, cognitionis principia per dogmaticos & empiricos adeo agitata, vtraque ad medicinam eſſe neceſſaria ſtatuit: ad artis vero ſcientiam methodo opus eſſe per vniverſalia praecepta, & exercitio in ſingularibus exemplis. Neque praecepta ſine exercitatione, neque exercitationem ſine his ſufficere: praecepta enim viam ad exercitationem monſtrare, hinc exercitationem absque praeceptis eſſe non poſſe.

§. 288. Elementum Galeno erat minima corporum & ſimpliciſſima conſtitutiva pars, ſive, vt ipſe ſe expreſſit, minima pars ejus, cujus ſit elementum, quod hinc ſenſibus exteris neque poſſet judicari, neque, quia ſimpliciſſimum ſit atque remotum, facile ratione inveſtigari. Hinc ad ſimpliciſſimorum principiorum, ſeu elementorum ſcientiam humanam rationem non aſcendere, propinquiora vero omnium corporum elementa, p ſimpliciſſimis tamen non habenda, eſſe ignem, aquam, aerem, terram *b*). Cuique horum elementorum ſuam eſſe qualitatem docuit, igni calidam, aeri frigidam, aquae humidam, terrae ſiccam. Easque qualitates, quod per eas elementum, a quo procedunt, ſemper cognoſcatur, primas dixit & ipſorum (quod etiam ex Hippocratea ſchola medici fecerunt) elementorum loco habuit.

b) Galen. de elementis L. I. c. 5. t. III. p. 12.

§. 289.

§. 289. Primae qualitates cum purae in animali corpore nunquam exiſtant, quoniam elementa non per aggregationem, vti Empedocles docuerat, ſed per intimam mixtionem corpora conſtituunt, per has compoſitas, ſive ſecundas qualitates produci ſtatuit. Hanc elementorum inter ſe mixturam & per eam natam qualitatum compoſitionem temperamentum, *τὴν κρᾶσιν*, conſtituere, efficereque vt vnaquaeque in animali corpore particula ab altera diſtincta ſit propriamque ſibi actionem edat: provenire etiam hoc, vt particula alia ſit calidior, frigidior alia, humidior, ſiccior alia: aut vt binae qualitates componantur, calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & ſiccum, frigidum & humidum. Inde compoſitiones naſci tot, quot per quatuor has qualitates poſſibiles ſint, totidemque temperamenta humani corporis.

§. 290. Ex his elementis (§. 288. 289.) totum humanum corpus eſſe compoſitum, in eoque triplicem eſſe compoſitionem ſtatuit, partium 1) ſimilarium, 2) inſtrumentalium, 3) totius corporis.

§. 291. In animali vero corpore praeter haec elementa (§. 288. 289.) & has partes ex elementis compoſitas (§. 290), quatuor humores eſſe, ſanguinem, pituitam, bilem flavam & atram. Sanguinem ex elementis, & quidem ex ſimpliciſſimis, eſſe compoſitum, hinc etiam materiem generationis & nutritionis humano corpori ſuppeditare.

ditare. Reliquos tres humores ex ſanguine quidem naſci, & animali cuique naturales, attamen ad excrementitios referendos eſſe, quorum hinc & nimia retentio, & excretio, noxas pariat. His quatuor humoribus qualitates eſſe ex primis (§. 288.) compoſitas, ſanguini calidam & humidam, pituitae frigidam & humidam, bili flavae calidam & ſiccam, bili atrae frigidam & ſiccam.

§. 292. Hos tres, praeter ſanguinem, humores generari ex ſanguine, ſanguinem vero ex alimento. Stomacho, vti omnibus partibus inſtrumentalibus, quae ad praeparationem quandam, aut ſecretionem ſua conferunt, quatuor facultates eſſe, quas naturales dixit, attrahendi, retinendi, alterandi, excernendi, per easque facultates omnes eorum, quae ad inſtrumenta feruntur, mutationes, ſecretiones & excretiones perfici. Chylum in ventriculo elaborari, hinc per venas meſeraicas ad hepar ferri & ibi in ſanguinem mutari; fierique in hepate ſanguinis a faecibus depurationem, bilis veſicula quod laeve & flavum eſt, ſplene vero, quod craſſum & limoſum eſt, attrahente. Aquam nimiam e ſanguine, ne ejus abundantia ad nutritionem ineptus evadat, per renes ſeparari.

§. 293. Movens vero principium in corpore animali ſpiritus eſſe ſtatuit, quos diverſos etſi ab aere eſſe putavit, eorum tamen materiam in aere contineri docuit. Naturales ipſi ſpiritus

erant

erant vapores ſubtiles, qui ex ſanguine elevarentur in hepate, ſanguinis officina, ad cor vero delati ibique cum inſpirato aere permixti vitales fierent, ad cerebrum vero animales. Hinc quum in hepate ſanguis praeparetur, a quo nutritio corporis, incrementum, propagatio ſobolis, pendeant, principem facultatum naturalium ſedem in jecinore eſſe, vitalium in corde, ex quo in vniverſum corpus per arterias caloris, vitae principium fundatur, animalium vero in cerebro, ex quo motus & ſenſus principia procedant. Hinc actionum in animali corpore triplex genus ſtatuit, naturalium, vitalium, animalium. Has omnes in internas & externas diviſit. Internae naturalis facultatis actiones ipſi erant alimentorum coctio, ſanguificatio: externa ſanguinis venoſi in omnes corporis partes diſtributio. Vitales actiones internae erant animi affectus vehementes: externae motus arteriarum & ab eo pendens ſanguinis, quem hae vehunt, ad calorem & vitam propagandam per corpus diſtributio. Animalis facultatis internae actiones erant imaginatio, judicium, memoria: externae ſenſus & motus.

§. 294. Motus in corpore duo genera eſſe ſtatuit, alterum in loco, alterum in qualitate. Illud, quod actionem dixit, motum activum eſſe: poſterius genus, quod alterationem, paſſivum: pati enim, quod alteratur. Muſculorum motus quatuor eſſe differentias, primam in contractione, alte-

alteram in laxatione, tertiam in translatione, quartam in tenſione tonica.

§. 295. Sanitatem eam eſſe corporis conſtitutionem dixit, in qua nec doloribus torqueamur, nec in obeundis vitae actionibus impediamur. Neceſſariam hinc ad eam eſſe elementorum, & adeo qualitatum, quibus gaudent, mediam temperaturam, εὐκρασίαν vocavit, et debitam convenientiam, quam συμμετρίαν dixit: non tamen in eo gradu, vt eucraſia vel ſymmetria vel minimo gradu laeſa morbum ſtatim efficere putandum ſit. Requiri porro ad ſanitatem, vt actiones omnes libere & ita ſuccedant, vt homo bene ſe habeat, nec non vt in humoribus debita compoſitio, in ſpiritibus debita actio ſit. Quae quum ab eucraſia & ſymmetria elementorum dependeant, ſanitatem reſultare ex eucraſia & ſymmetria partium omnium eorumque nexu inter ſe dixit. Ut itaque ſanitate fruamur, opus eſſe, vt partes ſimilares debita calidi, frigidi, humidi & ſicci temperie ſint dotatae; compoſita vero ex his ſimilaribus partibus organa debitum ſitum, magnitudinem, figuram, numerum, habeant. Hominem his gaudentem optimo habitu, εὐεξίαν dixit, eſſe praeditum, quem in ſimplicem & athleticum, in quo carnis juſto major copia adſit, diviſit.

§. 296. Affectus vocabulo vſus eſt ad exprimendum ſtatum corporis ſanum & aegrum: corpus enim, in quocunque ſtatu exiſtat, ſemper

affici. Morbum dixit affectum contra naturam, in quo functio primum laeditur, sive etiam affectum contra naturam, in quo actio laeditur. Actio ipsi est agentis motus, id vero, quod ab eo affectum est, passio. Passio Galeno est ipsa mutatio & alteratio praeternaturalis in corpore animali, affectus vero praeter naturam id, quod ex hac mutatione & alteratione proxime resultat. In corporis affectu contra naturam, in quo actio laeditur, omnia ad tria capita retulit, morbum, morbi causam, morbi symptoma, seu, quod ad idem fere redit, ad quatuor, scilicet 1) ad functionem vitiatam 2) id, quod hunc affectum peperit, 3) ad causas, quae ipsum affectum praecedunt, 4) ad symptomata, quae affectum necessario sequuntur.

§. 297. Morborum genera summa duo posuit, alterum in similaribus partibus, alterum in instrumentalibus, & in vtrisque laesionis duo genera locum habere, aut actionis nempe, aut structurae. Similarium partium morbos essentiam suam in ipsarum intemperie (δυσκρασία) habere, eamque intemperiem duplicem esse, aut cum, aut sine materie. Sine materie similarium partium morbi Galeno erant, si pars calidi, frigidi, sicci, humidi excessu defectuve laboraret. Cum materie morbi harum partium erant, si humor quidam, ejusdem, cum intemperie, naturae, simul in parte affecta congestus fuisset, e. g. si calido

praeter

praeter naturam calidus quoque humor ſe adſociaſſet. Hanc intemperiem ſtatuebat & ſimplicem, & compoſitam. Simplicem, ſi vna alterave ex quatuor qualitatibus aut excederet, aut deficeret: compoſitam, ſi duae junctae ſimul eſſent, calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & ſiccum, frigidum & humidum. Aequalem etiam & inaequalem intemperiem ſtatuit, illam, ſi vniverſum corpus, aut pars eadem intemperie laboraret, hanc vero, ſi aliae particulae in vna parte illa, aliae hac intemperie laborarent.

§. 298. Alterum ſummum morborum genus Galeno morbi partium organicarum erant. Hos diviſit in morbos organorum 1) ratione figurae, 2) ratione numeri particularum, 3) quantitatis, 4) poſiturae. Hos inſtrumentorum quoque morbos ſimplices & compoſitos eſſe docuit, ſimplices, ſi vno vitio inſtrumentum laborat, compoſitos, ſi contrarium locum habet. Tertium ſummum morborum genus ſimilaribus & organicis partibus commune eſſe ſtatuit, morborum a ſoluta vnitate pendentium.

§. 299. Morbum poſſe praecedere docuit affectum alterum praeter naturam, qui tamen non per ſe actionem labefactet, ſed morbi interventu: talem affectum non morbum, ſed cauſam morbi, eſſe appellandum. Has morbi cauſas in internas & externas diviſit. Externas occaſionalium, ſive procatarcticarum nomine primus inſignivit,

easque in ſex rebus non naturalibus, quae quoque nomen ſuum ab eo acceperunt, ſitas eſſe potiſſimum exiſtimavit. Has in actionem concitare internas cauſas docuit, quarum duplex genus ſtatuit, antecedentis morbum, ſeu προηγεμένης, quod nomen eo quoque auctore in pathologiam receptum eſt, & cum morbo conjunctae. Has internas cauſas duplicem naturam habere putavit. Aut enim ex inaequali elementorum mixtione, adeoque ex inaequali temperie (§. 289. 297.), cauſa naſcitur morbi, ſi nempe particulae aut calidae, aut frigidae, aut humidae, aut ſiccae nimis ſunt, aut ſi hae qualitates excedentes deficientesve compoſitae ſunt. Alterum genus cauſarum in humoribus ſitum erat, quorum cum Hippocrate quatuor ſtatuerat (§. 291.). Hos humores triplici vitio poſſe laborare docebat, abundantia, defectu, cacochymia. Abundantiam & defectum maxime ad ſanguinem retulit, humorem ad excrementitios non referendum: cacochymiam ad tres reliquos humores, quibus quoque, ſi vitioſi eſſent, ſanguinem inquinari docuit. Hinc plethoram etiam ad ſanguinem ſolum retulit eamque bifariam diviſit, in plethoram ad vires & ad vaſa.

§. 300. Cacochymiam in humoribus ſic explicavit: ſingulis humoribus eſſe qualitatem ſuam, communem cum partium ſimilarium qualitate, quoniam ex iisdem elementis compoſiti ſint, attamen

men non ſimplicem, ſed ſemper compoſitam, quam a cibo, potu, corporis, animi motu, quiete, rel. accipiant. Bilem calidam & ſiccam, atram bilem frigidam & ſiccam, pituitam frigidam & humidam, ſanguinem calidum & humidum eſſe. Quae qualitates ſi in humoribus excedant aut deficiant, κακοχυμίαν naſci, cujus ſpecies acrimonia ſit, per excedentes has qualitates nata.

§. 301. Caeterum cauſam antecedentem & conjunctam ratione tantum detegi poſſe ſtatuit, quod interna vtraque eſſet, neque cognoſceretur, niſi per morbum, quem induxiſſet. Conjunctam morbi cauſam proximam dixit, a qua nempe morbus nunquam abſit. Alias quoque cauſarum diviſiones copioſe expoſuit, in manifeſtas, abditas, ratiocinio detegendas & occultas, nullo ratiocinio detegendas, quarum exemplum venenum rabioſi canis in corpore latens poſuit: in vniverſales, particulares, locales, in cauſas per accidens, ſine quibus non, rel.

§. 302. Symptomata affectus dixit praeternaturales, a morbo dependentes, aut eum proxime & neceſſario inſequentes. Ea in tres claſſes diviſit, 1) in ſymptomata actionis laeſae, quibus merito maximam dignitatem tribuit; 2) in ſymptomata qualitatis vitiatae, 3) in ſymptomata excretionis & retentionis. Ultimam ſpeciem aut quoad vniverſam ſubſtantiam (vermes, calculos ceu exempla adduxit), aut quoad excretionem auctam

aut minutam, aut ejus qualitatem vitiatam, aut denique quoad excretionem ex alieno loco, exiſtere docuit. Criticas excretiones in morbis a ſymptomatibus differre ſtatuit, quum hae a ſalutaribus naturae conaminibus procedant, ſymptomata vero a morbo.

§. 303. Signa morborum bifariam diviſit, in diagnoſtica & prognoſtica. Diagnoſtica in pathognomonica diviſit, quae cum morbo inciperent deſinerentque, quibus adeo morbus cognoſcendus eſſet, & in alia, adjuncta morbo. In pathognomonicis reſpexit ad ſigna actionis laeſae, cauſarum internarum & ſymptomatum, quae ab his vtrisque procederent. Neque quicquam eorum, quae ad morbi cognitionem ducere putabat, neglexit *c*).

c) vid. Clericus Part. III. L. III. c. 3. p. 685.

§. 304. Prognoſtica ſigna ea dixit, quae futura in morbis, quoad eorum exitum, durationem, modumque, quo terminentur, docerent. Haec deſumenda exiſtimavit ex natura morbi cognita, affecti loci natura, temperamento, diſpoſitione, cauſa, aetate, tempore, loco. Pulſum ad diagnoſin & prognoſin maximi momenti eſſe docuit, primusque, cum Herophili libri, quos de pulſu ſcripſit, interierint (§. 134.), neque Hippocrates quicquam de eo memoraverit, auctor eſt, qui libris de hoc argumento permultis ſcriptis *d*) pulſuum doctrinam pleniſſime quidem,

&

& tali modo, quali in ſemiotice noſtris adhuc temporibus proponitur *e*), at fuſe nimis & nimis ſubtiliter expoſuit, ita vt pulſuum differentias, in infinitum fere multiplicatas, eum magis excogitaſſe, quam obſervaſſe putandum ſit.

d) Scripſit de pulſibus ad tyrones libellum: de pulſuum differentiis libros IV: de pulſibus dignoſcendis libros IV: de cauſis pulſuum libros IV: de praeſagio ex pulſibus libros IV· ſynopſin librorum ſuorum XVI. de pulſibus, & ad Antonium philoſophum de pulſibus libellum. Adſcribitur etiam ei libellus, pulſuum compendium continens.

e) vid. Ill. Gruneri ſemiot. Part. II. Subſect. III p. 110. Excerpta ex Galeni de pulſibus libris dedit Clericus P. III. L. III. c. 3. p. 692. ſeq.

§. 305. In curatione morborum princeps Galeno regula erat, naturam conveniențium ope conſervandam, contrariis vero medicinis morbos curandos eſſe. Indicatio ei erat ipſa conſequentiae inſpectio *f*). Hinc in omni morbo id ſpectandum eſſe cenſebat, vt morbus abigeretur, vires vero conſervarentur. Illud per contraria, hoc per convenientia peragendum eſſe. Omnibus autem, quae curanda morbi indicarent, ſatisfacere docuit diaeteticen, pharmaceuticen, chirurgicen. In diaeta Hippocratem ſequutus eſt: quaedam etiam ab Aſclepiade tradita recepit. In medicamentis vero adhibendis, & alimentis adeo aegrotantibus ſuppeditandis reliquisque auxiliis in vſum vocandis, hoc ratiocinio vſus eſt:

f) Galen. de method. medendi L. II. c. 7. p. 43. t. X.

§. 306. Elementa corporum omnium in natura vniverſa quum ſint quatuor, haec quoque quatuor qualitates, quibus diſtinguantur elementa ipſa, calorem, ſiccitatem, frigus, humiditatem, habere debere. Hae vero qualitates cum in humano corpore non ſemper aequaliter temperatae ſint, fieri, vt calor, ſiccitas, frigus, humiditas, excedant, vtque harum qualitatum aliquae etiam conjunctae inter ſe excedant. In reliquis naturalibus corporibus rem eodem modo ſe habere: cum enim ex quatuor elementis ſint compoſita, quatuor etiam qualitates habere debere, calidam, ſiccam, frigidam, humidam: cumque ſingula corpora naturalia modo diverſo ſint compoſita, neceſſe eſſe, vt in altero haec, in altero illa qualitas emineat. Sanum itaque ſtatum quum proba temperies elementorum efficiat, ſanitatem ſervari optime, ſi is ſtatus per alimenta ſervetur talis, vt nil inferatur in corpus, quo id nimis incaleſcat, frigeſcat, ſiccetur, humectetur. Quumque inaequalitas quaedam in temperie etiam in ſanis locum habeat, quibus calida haec eſt, frigefacientia, quibus frigida, calefacientia, quibus humida, ſiccantia, rel. convenire, per eamque diaetam temperamentorum vitia optime corrigi apparet. Eadem ad morbos eſſe applicanda cenſuit, quod contraria contrariis curentur. Frigida calido, humida ſicco curari, & contra, compoſita vero ex his qualitatibus compoſitis: verbo, contraria contrariis. §. 307.

§. 307. Omnium medicamentorum hinc primam qualitatem ad calidum, ſiccum, frigidum, humidum redire. Quumque ſimilarium partium & inſtrumentorum morbi per easdem qualitates aut ſimplices, aut compoſitas, excedentes fiant, apparere calidam intemperiem per frigus, humidam per ſiccitatem inductam curari, & contra: compoſitas vero affectiones per medicamenta quibus contrariae compoſitaeque qualitates ſunt. Inde cum morborum genera conſtituerat intemperiei ſimplicis & compoſitae, conſtituit quoque medicamenta qualitatis ſimplicis calidae, frigidae, humidae, ſiccae, & compoſitae, humidae v. g. & calidae, humidae & frigidae, caet.

§. 308. Et virtutem quidem omnium medicamentorum per gradus diviſit. Quum enim vnamquamque intemperiem per contraria eſſe curandam docuiſſet, vniuscujusque vero gradus eſſe poſſent diverſi atque per medicamenta contrariae virtutis nimis valida contraria intemperies induci poſſet facile, gradus in virtute medicamentorum primus ſtabilivit, a primo vſque ad quartum eumque vltimum, vt medicus, vbi intemperiem ejusque gradum cognoverat, medicamenta ad eum valentia eorumque gradus eo commodius invenire poſſet. Hosque gradus etiam in compoſitae virtutis medicamentis eſſe ſtatuit. Piper, cepas, vt quaedam tantum exempla adducam, quarti ſummique gradus calidam virtutem, cinnamomum, nigellam,

gellam, tertii, lini ſemen primi, habere docuit. In componendis medicamentis vſus eſt eodem ratiocinio. Quae excedebant in vno medicamento, admixto alio voluit temperare, quae deficiebant, augere. Et haec quidem medicamenta qualitates mutantia, alterantia dixit. Purgantia, quorum ſingula certum humorem educere putavit, alteram medicamentorum claſſem conſtituebant.

§. 309. Nunc quatenus Galeni ſyſtema hactenus expoſitum medicinam perfecerit, quatenus ei detrimento fuerit, inquirendum eſt. Bonum concinnumque in eo ordinem, ſimplicitatem, gravitatem, in quibusdam partibus perſpicuitatem vix facile quisquam in eo deſideraverit. Multa in eo appoſite & ita expoſita eſſe, vt noſtrorum adeo temporum pathologia non habeat, quae meliora poſſit ſubſtituere, nemo negabit. Sed id vitii habet, vt fundamentum primum Galenus ei quidem ex vniverſi corporis natura dediſſe putaverit, dum omnia ex quatuor elementis corporis & quatuor eorum qualitatibus deducebat, neque tamen ad vires, quibus movetur corpus, reſpexerit. Harum adeo oblitus eſt, vt ejus, quod impellit partes ad agendum in corpore vivo, vix mentionem fecerit, vtque, qui de corpore humano tam praeclare ſcripſerat, qui circa partium rationem naturamque tot nova veraque, medicorum aliorum opinionibus rejectis omnibus, primus

mus dixerat, de animo aliorum quidem philoſophorum more, attamen tam mire ſcripſerit, vt illi tres facultates tribueret, iraſcendi in corde, concupiſcendi in hepate, ratiocinandi in cerebro ſitam. Qui proprio libro probaverat animi mores corporis temperamenta ſequi, de animi imperio in corpus non dixit, quae ad vires, quibus corpus animale regitur, ducere potuiſſent.

§. 310. Galeni ſyſtema contemplatrici medicinae ei, quae ab humorum δυσκρασίᾳ omnia fere deducit, quae in corpore praeter naturam accidunt, eique, quae ex mechanices legibus omnia explicat, anſam dare debuiſſe, ex ipſo ſyſtemate ejus ſatis intelligitur. Humoralis, quam vocant, pathologia, poſt Hippocratis tempora mox in medicinam illata, eo auctore tantum amplificata eſt & tot tamque ſpecioſis argumentis exornata, vt quidquid moliti ſint ſummi viri Stahlius atque Cullenius, ejus tamen reliquiae ſatis multae in pathologia, qualis noſtro docetur tempore, reſtent. Medicina ex mechanices legibus ea explicans, quae in ſtatu corporis animalis ſani aegrique accidunt, Galeno auctore naſci debuit, poſt mathematicas diſciplinas magis cultas, quod corpus, quale Galenus illud ſibi finxerat, virium expers, obedire legibus mechanices debebat. Regulas matheſeos, ad quas vires in animali corpore dimetiendae eſſent, non inventas eſſe, poſtera aetas perſpexit.

§. 311.

§. 211. Omnibus ſane, quae poſt Galeni tempora excogitata ſunt, medicinae ſyſtematibus occaſionem dedit Galenus. Syſtemata quoque, vtut diverſa a Galeni ſyſtemate videbantur, Galeni ſyſtema, in aliis auctum, mutatum in aliis partibus, exhibuere. Ad quod genus Paracelſi deliramenta & Sylvii ſyſtema pertinent. Ipſi quoque organici, quos noſtra aetas, Stahlio primo auctore, tulit, medici, etſi prima cognoſcendi principia in medicina mirifice dilatarunt, in exponendis tamen medicinae ſingulis partibus Galenum vtplurimum ſequuti ſunt.

§. 312. Et qualis hodie adhuc docetur phyſiologia & pathologia, ſi ordinem reſpicis in tractandis materiis, non multum recedit ab ordine, quo Galenus vtramque hanc diſciplinam tradiderat. Functionum diviſio adeoque ordo in tractanda phyſiologia, Galenum auctorem habet. Morborum generalior expoſitio, morborum diviſio in partium ſolidarum & fluidarum morbos, illorumque in morbos partium ſimilarium & inſtrumentalium diſtributio a Galeno eodem modo expoſita ſunt, quo hodie proponuntur. Fluidorum morbos quoad eorum molem, mixturam, indolem, motum, locum, quem occupant, eodem ordine, & magna ex parte eodem modo, quo Galenus, pertractamus. Cauſas, ſymptomata morborum Galeno auctore adhuc dividimus, exponimus. In multis therapeutices capitibus ejus doctrinam ſequimur.

Mor-

Morbos ſolidi vivi eorumque ſanationem pathologiae ei, quam tradidit, inſeruimus: ipſi pertractationi multa, quae exactior & multiplicata magis obſervatio, quae firmius ratiocinium docuerant, intexuimus. Novum ſyſtema, plane elaboratum, quod ex viribus, quae animale corpus regunt, eorum maximam partem deducit, quae Galenus ab elementis deduxerat, adhuc deſideratur.

§. 313. Etſi itaque Galenus medicinae ſummopere & hoc ſyſtemate, & inventis ſuis reliquis, praeſertim in anatome & phyſiologia, profuit, tamen, quod mira vi ingenia hominum ita traxit, vt eum ſolum per XIV ſaecula praeceptorem agnoſcerent, neque vltra fines ſyſtematis, quos duxerat, progredi auderi viderentur, medicinae incrementa non per eum quidem, ſed per coecos ejus ſectatores, vehementer retardata ſunt.

PERIODUS II.

Medicina Graecorum et Romanorum poſt Galeni deceſſum vſque ad Saracenorum tempora.

Caput XXIII.

De medicina poſt Galenum generatim.

§. 314.

Etſi prius ad Saracenos tranſiit medicina, quam Graecorum medicina deſineret, complectar tamen

in

in hac altera medicinae recentioris periodo quae ad vniverſam Graecorum & Romanorum medicinam pertinent, vt quae ad Saracenorum medicinam ſpectant, his praemiſſis & hiſtoria non turbata, poſſim enarrare. Isque ordo etiam ideo conveniens eſt, quod Graecorum poſt ſeptimum ſaeculum medicina in Saracenorum medicinam non amplius influxit, neque, ſi Rhazen excipis, cujus medicinae particula quaedam ad Graecos rediit, Saracenorum medicina in eam, quam Graeci tractaverunt.

§. 315. In hac vero periodo medicinae, quae, per tot diſcrimina doctrinaeque varietates ſi detrimentum acceperat, a Galeno in integritatem ſuam fuerat reſtituta, etſi medici non defuerunt, qui eam exercerent, aut libros de ea ſcriberent, defuerunt tamen, qui ejus veram ſcientiam haberent. Occaſio quidem illam ſtudioſius excolendi amplificandique deeſſe non potuit, quum errores atque veritates tot ſaeculorum medici ante oculos haberent. Sed pejor in dies evaſit, medicis aut quae prolata erant ab aliis ſine ordine omnique judicio ruminantibus, aut, ſi quaedam addere ipſis contigit dictis ab aliis, raro vtilia, ſed vtplurimum conjecturalia, vana, ſuperſtitioſa iis adjicientibus.

§. 316. Ante Galenum vnusquisque medicorum ſectae peculiari ſe addixerat. Poſt Galenum hoc ſectarum ſtudium deſiit, ita vt medicos cultiores

tiores omnes ad eclecticos pertinuiſſe reperias. lique non tales quidem erant, qui propria cogitatione judicioque ſuo vtentes falſa, a ſuperioribus ſectis relata, rejicerent, vera vtiliaque in medicinae vſum colligerent, ſed erant potius tales, qui, ordine quodam ſtabilito, de quo mox dicam, majorum libros ſideliter in ſuos transſcriberent, neque curarent num empirico, num dogmatico, num methodico ad libros ſuos conſarcinandos vterentur. Ut adeo cum ipſo Galeno omne fere ingenium medicorum interiiſſe recte credas, hancque periodum, quae mille, & quod excurrit, annos complectitur, eam fuiſſe, in qua detrimentum, quod accepit medicina, ejus incrementa longiſſime ſuperarit.

§. 317. Nomen vero ſectarum non quidem deſiiſſe videtur poſt Galenum, earum vero ſtudium exoleviſſe, mutatae enim & confuſae tali modo apparent, vt in dogmaticorum libris neque ſemper dogmaticum, neque in empiricorum empiricum auctorem cognoſcas. Methodicos poſt Galenum vix amplius cognoſcere licet, vt hinc non certe ſciatur, num poſt ejus tempora, aut poſt Caelium Aurelianum extiterit haec medicorum ſecta, neque, ſi extitit, an a majorum ſuorum placitis deſciverit. Qui enim ſub Moſchionis nomine adhuc extat liber de mulierum affectibus g), non methodicorum diſciplinam, ſed empiricorum atque dogmaticorum refert, cum excerptis

cerptis ex methodicorum ſcriptis permixtam. Vindicianus, quod probat epiſtola, quam ad Valentinianum imperatorem ſcripſiſſe fertur *h*), non adſtrictum totius corporis ſtatum, ſed alvum per decem dies adſtrictam in febricitante eam laxante medicina ſanavit, quod & empiricus, & dogmaticus feciſſet. Neque Theodorus Priſcianus, neque Aetius *i*), methodicis adnumerandi ſunt: vterque enim auctor medicinam ex dogmaticorum, empiricorum & methodicorum libris compoſitam tradidit. Ut itaque, licet Clericus *k*) contradixerit, methodicorum ſectam poſt Galenum aut extinctam eſſe, aut in communem confuſarum inter ſe ſectarum voraginem raptam, aut coryphaeo medicisque caruiſſe putes, qui libros medicos ſcriberent *l*). Ejus, quae jam languebat, interitum, Galenum, eam vituperantem, acceleraſſe credibile eſt.

g) Extat hic liber in gynaeciorum collectionibus Wolphii, Bauhini, Spachii, & in hac quidem pag. 1.

h) Extat haec epiſtola in Andr. Rivini veterum quorundam bonorum ſcriptorum libris & reliquiis ſingularibus de materia & re medica. Lipſ. 1654. 8. Marcelli, qui Theodoſii M. temporibus floruit, carmen de medicina mentem medicorum horum temporum ita exprimit: (vid. Burmann. poet. lat. min. T. II. p. 390).

Quod logos, aut methodos, ſimplexque empirica pangit,
Hoc liber iſte tenet, diverſo e dogmate ſumtum.

i) Methodicis nuper accenſuit Aetium, at quod ad hanc ſectarum confuſionem non reſpexit, minus firmis

mis argumentis, Cl. Weigel in doctiſſ. libello: exercitat. Aetianar. Specim. Lipſ. 1791. 4. p. 17.

k) Hiſt. de la medec. Part. II. L. IV. Sect. I. cap. 13. p. 493. ſeq.

l) Extitiſſe methodicos Auſonii temporibus, qui Gratiano imperante Romanis floruit, (ab ann. 375 383. poſt Chriſt.) locus in carmine ejus probat: *Triplex quoque forma medendi, quoi logos, aut methodos, aut experientia nomen.* Extiterunt quoque adhuc Hieronymi temporibus, qui epiſt. L. II. ep. 2. dicit: *taceo de medicis, quorum ſcientia in tres partes ſcinditur,* τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν.

Caput XXIV.

Medicina dogmaticorum poſt Galenum.

§. 318. Quae jam notavi (§. 315. 316.) de ſtudio medicorum poſt Galenum, de dogmaticis valet maxime: empirici enim, etſi Dioſcoridem & Plinium exſcripſerunt, multa tamen conſilia protulerunt eorum, quae proprio vſu experti fuerant, aut aliorum experimentis didicerant Idque collectionis ſtudium dogmatici non in omnibus medicinae partibus eadem diligentia perſequuti ſunt, vt merito mirandum ſit, partes quasdam medicinae, quibus perficiendis Galenus ſtuduerat, ab iis penitus fuiſſe neglectas. Anatomen enim, quam tanto ſtudio Galenus tractaverat, quamque a Galeno traditam in compendium Oribaſius redegerat, vltimis inter Graecos de anatome ſcriptoribus accenſendus, tam parvi fecerunt, vt ejus fere nomen interiiſſe eſſet viſum inter Graecos

temporibus, quibus Fridericus Secundus Romanorum imperator eam in Salernitano & Neapolitano ſtudio reſtituebat. Phyſiologiam omnem, omnemque de vſu partium doctrinam, quam Galenus in libris de vſu partium primus ſingularis diſciplinae medicae forma tradiderat, ne tetigerunt quidem. Doctrinae de morbis tantum particulam pertractarunt eam, quae ad quatuor elementa eorumque qualitates (§. 288. 289.) & ad quatuor humores (§. 291.) ſpectat. Verum his, quae vniverſae pathologiae a Galeno traditae fundamenta erant, minus vſi ſunt ad morborum origines explicandas, magis ad diaetae regulas & actionem medicamentorum conſtituendam: ita vt calidum, frigidum, ſiccum, humidum in corpore ideo ſtatuerent, vt intemperiei, ex his natae, alimenta & medicamenta contraria opponere poſſent: quatuor vero humores eorum cauſa, quae hos humores educere putabant.

§. 319. Symptomata in morbis minus curabant, breviſſime, quae ad ea ſpectant, exponentes, vt ad medicamenta, in quibus copioſiſſimi erant, eo citius pervenirent. Signa in morbis ſalutem, criſin, mortem praeſagientia aut penitus negligebant, aut his tantum vtebantur, quae de iis Galenus dixerat. Occaſionem medicinae ita contrahendae dedit antiqua illa de medicina in tres partes diducta opinio (§. 142.). Inde quoque omnis eorum medicina ad ejus exercitium fere

ſolum

ſolum ſpectabat, duplexque erat diaetetica nempe atque pharmaceutica, quibusdam, chirurgiam ſimul exponentibus, triplex. Medicinam vniverſam his partibus comprehenſam eſſe putarunt. Reliqua omnia ab ea abſciderunt.

§. 320. Quae cum ita ſint, intelligitur nunc quoque, quale dogmaticorum ſyſtema his temporibus fuerit. Ejus notionem dabo qualemcunque ex Oribaſii, qui Juliani, Joviani & Valentis temporibus (ab anno 361 vſque ad annum 378 poſt Chriſtum) floruit, ſynopſi medicinae, quam excerptam ex majore collectionum medicinalium opere ad Euſtathium filium perſcripſit, & eo quidem fine, vt is totius medicinae compendium haberet. Ex hac itaque ſynopſi perſpicitur, quaenam medico ſuis temporibus ſcitu vtilia eſſe judicaverit. In ea hunc ordinem ſequitur, vt primum de ſanitatis praeſidiis loquatur, exercitationibus corporis, ſanguinis miſſione varia, alvi purgatione, lotione, balneis, ſinapiſmo, vtque jam in hoc libro quae ſanis ex hoc auxiliorum genere conveniant enarret, & quae aegris: turbato enim penitus ordine de remediis metaſyncriticis, de dropacibus aliisque, quae ad ſanos nullo modo pertinent, differit. Libro altero medicamenta nominat mutationes inducentia penitus ex Galeni mente eorumque gradus conſtituit, & ita quidem, vt quorum gradum Galenus aut ignoraverat, aut ſilentio tranſiverat, hic exacte deſcriberet. Ordo

eſt calefacientium, refrigerantium, ſiccantium, humectantium, quae omnia a primo vſque ad quartum gradum perducuntur. Deinde quae humores educunt e corpore, & externas medicinas recenſet. Tertio libro medicamenta compoſita numeroſiſſima ad externos internosque vſus enarrat. Quartus alimenta complectitur, eaque iterum ſecundum Galeni theoriam de quatuor humoribus & de quatuor qualitatibus enarrata. Quintus regimen gravidarum, nutricum, infantum, morborumque, qui in has vitae humanae conditiones cadunt, non hiſtoriam, ſed curationes complectitur, ſimulque notas εὐκρασίας & δυσκρασίας in corpore, & quomodo vtraque corrigenda ſit. Sexto quaedam ad criſin febrium pertinentia, & ipſarum febrium, nec non ſymptomatum, quae febricitantibus accidunt, curatio: ſeptimo externorum morborum, quae certam ſedem non habent: octavo & nono morborum omnium curatio continetur, ita vt a capite ad partes inferius ſitas auctor deſcendat.

§. 321. Et tale quidem, quale Oribaſius illud exhibuit, medicinae practicae ſyſtema, vſque dum extingueretur Graecorum medicina, fere manſit, mutatum quidem ab vno alterove aliquo modo, ſed non, niſi, vt quae alter prius poſuiſſet, alter poſtponeret, & contra. Tali modo mutatum ſyſtema medicinae practicae Aetius exhibuit, vt primum medicamenta ſimplicia, deinde

de rem alimentariam proponeret, tum vires alimentorum & medicamentorum ſecundum Galeni claſſes gradusque digereret, poſtea corporis exercitia & ad variam corporis purgationem praeſidia medicamentaque, poſthac diaetam puerorum medicamentaque ad eorum morbos, nec non gravidarum, laſſorum curationem notasque intemperici qualiscunque, non ſolum totius corporis, ſed ſingularum etiam ejus partium, proponeret. Poſtea de cognoſcendis & curandis febribus, nec non de ſingulis corporis humani morbis, deſcenſu a capite facto, egit. Deinde quibus modis venena prohibere aut data curare conveniat, nec non cognitio curatioque elephantiaſis, pruritus, vitiliginis, leuces, leprae proponitur: poſthac, curatione externorum morborum tradita, medicamenta compoſita permulta exponuntur ad chirurgiae vſum. Tandem conceptus & partus ratio, & affectus mulierum, vteri praeſertim & mammarum, item vnguentorum pretioſorum ac ſuffimigiorum ad coſmeticen praeparatio proponuntur. Practicae medicinae ſyſtema, quod Paulus Aegineta condidit, fere ei accedit, quod Oribaſius tradiderat. Primum enim tuendae ſanitatis doctrinam & affectionum aetatibus, temporibus, temperamentis peculiarium praeſervationem & correctionem & alimentorum vires: deinde febres, poſt eas affectiones in locis conſiſtentes, poſtea externos affectus, tum de venenis doctrinam,

deinde chirurgiam, tandem medicamenta ſimplicia & compoſita exponit.

§. 322. Anatomen eamque diſciplinam, quae de morbis generalia proponit, cum fere intactam reliquerint, nunc quo modo partes practici ſyſtematis, quod deſcripſi (§. 321.), pertractaverint, enarrandum eſt. Diaeteticae fines ita dilatarunt, vt in ea diaetam ſanorum, & vtplurimum quidem in vitae conditionibus diverſis, gravidarum, puerorum, ſenum, iter facientium, navigantium, rel. pertractarent, & corporis exercitia, quae ſanis conveniunt, & intemperiei diverſae notas alimentaque, quibus haec temperiei vitia corrigenda ſint, & ad evacuationes corporis, vomitum, alvi purgationem, ſanguinis detractionem, cutis purgationem, irritationem, praeſidia, & rem alimentarem, quatenus & ſanis conveniat, & intemperie affectis, exponerent.

§. 323. In morbis curandis acutis aliquo ſaltim modo ad ſemioticen reſpexerunt, Hippocrate tamen, principe ejus auctore, minus, magis iis vſi ſunt, quae Galenus de eodem argumento propoſuerat. Caeterum ſi ipſi hiſtorias enarrabant, breviſſimis id fecerunt, non ſic, ſi hiſtorias ex aliis, Archigene, Poſſidonio, Antyllo, caet. proponebant. Morbos novos, aut tales ſaltim, qui poſt Pompeji Magni &, qui iisdem temporibus vixit, Aſclepiadis tempore primum apparuerunt, permultos deſcripſerunt, in primis cuta-

cutaneos, talesque, quos Africae Aſiaeque calidior pars tulerat, quique ab his terrarum orbis partibus in Italiam Graeciamque fuerant translati. Horum morborum quosdam optime deſcripſerunt: alios minus bene, vt eos vix cognoſcas.

§. 324. Morbi vero, quos aut primum deſcripſerunt, aut quorum deſcriptionem perfecerunt, hi ſunt:

Alopecia, ejusque ſpecies capillorum defluvium & ophiaſis, Galeno quidem jam omnes notae, attamen in libro, qui Cleopatrae adſcribebatur, & ab Aetio, tetrab. II. Serm. II. c. 55. 56. Alexandro Tralliano, Libr. I. cap. 1 & 2. & Paulo Aegineta, Libr. III. cap. 1. accuratius deſcriptae. Multa iidem nova medicamenta ad has hujus morbi ſpecies deſcripſerunt.

Colicam pictonum, quam Galenus jam ſub dyſenteriae ab aquis per plumbeos canales derivatis naſcentis nomine deſcripſerat (de compoſ. pharm. ſec. loc. L. VII. c. 2. p. 537. t. XIII.) primum deſcripſit, & quidem per Romanorum provincias epidemicam, Paulus Aegineta Libr. III. cap. 43. Idem tranſitum hujus mali in artuum reſolutionem, ſervato ſenſu, & epilepſiam notavit. L. III. c. 43. p. 464. Coll. H. Steph.

Dracunculos, vermium genus, morbum articulorum ſingularem efficiens, primum memoraverat Agatharchides, qui ſub Ptolemaeo Philometore in Aegypto vixit, poſtea Leonidas, Soranus, Galenus. Aetius tetrab. IV. Serm. II. cap. 85. Paulus Aegineta Libr. IV. cap. 59. hos vermiculos & morbum ab eis pendentem exactius deſcripſerunt. Curationem hujus morbi externam Arabes primum tradiderunt.

Elephantiaſin, quae Aſclepiadis temporibus Romae primum innotuerat, quamque Aretaeus, de cauſis & ſignis

diuturnor. morbor. L. II. c. 13. & Galenus optime descripserant, Aetius copiosissime exposuit & praecepta optima ad ejus curationem dedit. tetrab. IV. Serm. I. c. 120. seq. cf. Paulus Aeginet. Libr. III. cap. 22.

Erysipelas cerebri Actius tetrabibl. II. Serm. II. c. 26. Paulus Aegineta Libr. III. cap. 8.

Hydrocephalum, internum quoque, antiquioribus & Galeno jam notum, descripsit, multiplicatis sanationis praeceptis, Aetius tetrab. II. Serm. II. c. 1. cf. Paulus Aegineta Libr. VI. cap. 3.

Lepram ejusque mitiores species, alphum, & graviorem, attamen ipsa lepra mitiorem, leucen, a Galeno optime descriptas, studiosius enarrarunt, mali gradus diversos constituerunt medicamenta plurima ad hos morbos laudarunt Aetius tetrabibl. IV. Serm. I. cap. 132. 133. Paulus Aegineta Libr. IV. cap. 2.

Lycanthropiam, insaniae genus peculiare, Galeno non memoratum, attamen ante ejus tempora jam notum & a Matthaeo Evangelista (Matth. VIII, 28.) primum memoratum, descripsere Oribasius, Synops. Libr. VIII. cap. 10. Aetius tetrab. II. Serm. II. cap. 11. Paulus Aegineta Libr. III. cap. 16.

Mentagram, leprae particularis speciem, gravissimum morbi genus, a Plinio primum enarratum Libr. XXVI. cap. 1. ad quod sanandum Aegyptii medici Romam accessebantur, & cujus curatione Pamphilus medicus Romae famam consequutus est maximam ingentemque quaestum fecit (vid. Galen. de composit. medicamentor. sec. locos L. V. c. 3. pag. 469. t. XIII.), menti scabiem, ejusque speciem, menti ficosum tumorem, fuse descripsit Aetius tetrab. II. Serm. IV. cap. 14.

Morbos cutaneos generatim longe melius descripsisse Aetium atque Paulum Aeginetam notandum est, quam a superioribus aetate medicis factum fuerat, aut hos ex horum libris, qui interierunt, descriptionem horum morbo-

morborum nobis conſervaſſe, ophiaſis, piloſis, myrmeciae, rel.

Morbos oculorum juſto ordine digeſtos primum pertractavit Aetius tetrabibl. II. Serm. III. conf. Paulus Aegineta Libr. III.

Nyctalopiam, quam Galenus optime deſcripſerat, iterum deſcripſit Alexander Trallianus Libr. II. cap. 6.

Podagram, quae Galeni temporibus morbum Romanorum efficiebat frequentiſſimum, (Galen. comm. in aph. Hipp. VI. 28. t. IX. p. 264.) ſtudio plane ſingulari pertractaverunt Aetius, tetrabibl. III. Serm. IV. Alexander Trallianus, libro XI. Paulus Aegineta, Libr. III. cap. 78. Neque inter reliquos omnes vllus morbus eſt, quem majore ſtudio, ſecundum omnes ejus varietates, digeſſerint, & ad quem plura medicamenta commendaverint.

Pudendorum ac ſedis affectus quosdam, quos quidem ad luem veneream pertinere quidam recentiores putarunt, raros, neque ab antiquioribus memoratos, deſcripſit Paulus Aegineta Libr. III. cap. 51—59.

Siriaſin, poſterioris cerebri partis in pueris inflammationem, vtplurimum lethiferam atque a ſphaceliſmo cerebri Hippocratis (vid. Burſerii de Kanilfeld inſtitut. med. pract. Vol. III. c. 6. p. 143. ed. Lipſ.) & ab eryſipelate cerebri diverſam, deſcripſit primum Aetius, tetrabibl. I. Serm. IV. cap. 13.

Veſicae ſcabiem Aetius tetrabibl. III. Serm. III. cap. 22.

§. 325. Etſi vero in morborum enarratione & curatione, nec non in ſanitatis tuendae praeceptis ſolis verſabantur horum temporum medici, in his vero, quas tractabant, diſciplinis ea, quae ad θεωρίαν pertinent, de quatuor elementis, qualitatibus eorum, intemperie & de quatuor humori-

bus ex Galeno deſumebant, non tamen Galeni doctrinae adeo addicti fuerunt, vt eam, inprimis in morborum curatione, ſolam ſequerentur. Eos in exſcribendis majorum libris non curaſſe, quem deſcriberent, num dogmaticum, num empiricum, num methodicum, ſupra jam notavi. Et vbi etiam ſua proferebant, tantum aberat, vt ad ſolam dogmaticorum diſciplinam pertinerent, vt potius ex diverſiſſimis aliarum ſectarum placitis eſſent compoſita. Methodicorum in primis μεταϑύγκρισιν & medicamenta metaſyncritica, quod Dioſcorides primus fecerat, in artis exercitio adhibuerunt, indeque recte monet Oribaſius *m*), in omnibus diuturnis morbis, vbi reliqua auxilia nihil profuerint, omnes fere ea remedia, quae methodici vocant metaſyncritica, adhibere conſueviſſe, ſive, quod idem eſt, medicos in quoque difficili morbo chronico ad curationem ex methodicorum mente inſtituendam rediiſſe. Eaque effecerunt, vt vix vnus e dogmaticis hujus periodi medicis ſit, quem non methodicum fuiſſe aliqui exiſtimaverint. Actium methodicum eſſe dixerunt alii, Alexandrum Trallianum Fabricius *n*). Pauli etiam Aeginetae libri praecepta continent ad methodicorum diſciplinam referenda.

m) Oribaſ. ſynopſ. Libr. I. cap. 34.

n) Bibl. Graec. L. VI. cap. 8. §. 5. p. 595. Vol. XII.

§. 326. Medici hinc dogmatici, qui libros ſcripſerunt medicinales, cum ad artis exercitium refer-

referrent omnia, liquet quidem contemplationum ſtudium decreviſſe inter medicos poſt Galenum, non vero deſiiſſe. Qui enim de dogmaticorum ſecta libri adhuc proſtant, omnes Galenum in contemplationum, quam proferunt, iſta particula ſequuti ſunt. Hinc ſcholas extitiſſe medicorum exiſtimandum eſt, in quibus theoreticae Galeni doctrinae haec pars, quam ad artis exercitium & ad medicamentorum actionem intelligendam neceſſariam putabant, pertractata fuerit. Talesque ſcholas, quae Galeni doctrinam profitebantur, Alexandriae extitiſſe quarto poſt Chriſtum natum ſaeculo Fulgentii *o*) locus probat. Praeter has vero ſcholas extabant quoque aliarum ſectarum ſcholae, & ſi Suidae, ſive potius Hieronymo Mercuriali, qui ejus locum reſtituit *p*), credendum eſt, decimo adhuc poſt Chriſtum ſaeculo ſchola Herophileorum a Xeuxide & ab Alexandro Philalethe condita perdurabat. Eraſiſtrateos, qui Romae Galeni temporibus frequentes degebant, Suidae temporibus adhuc in Graecia extitiſſe, idem locus probat. Scholas quoque ſuas habuerunt empirici. Hae vero omnes ſcholae minus frequentes in Italia, frequentiores vero in Graecia fuiſſe videntur. Neque Alexandrinae ſcholae fama temporibus poſt Galenum decrevit, imo vehementer aucta eſt. Ammianus Marcellinus, qui ſaeculo IV exeunte vixit, medicinae ſtudia Alexandriae in dies augeri dixit, vt pro

omni

omni experimento ſuffecerit medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixiſſet eruditum *q*). Conſtantinopolitanae medicorum ſcholae a Conſtantini Magni inde temporibus (ab anno 306 poſt Chriſtum) in primis floruerunt.

o) Fulgent. mytholog. I. p. 16. Calliope loquitur, Alexandriae ſe ſubſtituram fuiſſe: *niſi me etiam exinde de bellis crudelior Galeni curia excluſiſſet, quae paene cunctis Alexandriae ita inſerta eſt angiportis, quod chirurgiae carnificinae laniola pluriora habitaculis numerentur.*

p) Hier. Mercurial. var. lect. L. II. c. 12.

q) Ammian. Marcellin. XXII. 16. cf. Ill. Heyne opuſc. academ. Vol. I. p. 110. 111.

§. 327. Philoſophia, quae his temporibus invaluit, Platonica, cum Pythagorea juncta, ſed vehementer mutata, magiae ſtudium, iſta opinio, qua permultis rebus ſupernaturalis vis ineſſe putabatur, multum contulere ad ingenia medicorum eo dirigenda, vt ſuperſtitioſis rebus, curationibus per verba, amuleta, literarum ductus magicos, caet. operam impenderent longe majorem, quam prius factum erat.

§. 328. Medicos dogmaticos hujus periodi nunc ſingulos ſecundum temporum ordinem perſequar, vt pateat, quomodo quisque eorum medicinam pertractarit, & quid ſinguli ad eam amplificandam praeſtiterint. Ante Oribaſium & poſt Galenum floruere Antyllus *r*), Philagrius *s*), Poſſidonius *t*), quo-

quorum libri interierunt, praeter loca, quae Oribaſius & Aetius ex iis ſervarunt. Is vero, Zenonis Cyprii diſcipulus, Juliano ad imperium obtinendum non mediocre auxilium praeſtitit, qui viciſſim eum quaeſtorem Byzantinum fecit & ſummam in eo poſuit fiduciam. Joviano imperante in exilium miſſus eſt. Revocatus poſtea fama & fortuna floruit & exeunte ſaeculo IV fato functus eſt.

r) Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 279.
s) Haller ibid. p. 281.
t) Haller ibid. p. 282.

§. 329. Scripſit, Juliano jubente, opus LXX, vel, vt quidam volunt, LXXII librorum, quod omnia, medicis vtilia futura, ex Galeni & plurimorum aliorum medicorum, non vero ex Hippocratis libris collecta contineret. Cujus collectionis libri XV priores, quibus rem alimentariam, alimentorum facultates, corporis exercitationes, medicamenta praeſidiaque, quae certos in corpore humores evacuant, fomenta, cataplaſmata, doctrinam de balneorum vſu, deinde medicamenta ſimplicia, eorumque virtutes ſecundum claſſes diſpoſitas complexus eſt & XXIV & XXV, quibus anatomen ſecundum Galenum pertractavit, nec non libri XLIII vſque ad XLVII, quibus chirurgiae partem pertractavit, a Niceta editi *u*) adhuc extant. Eandem collectionem in epitomen redegit in ſynopſi, ad Euſtathium filium

lium conſcripta & novem libris comprehenſa. Libri, qui ei adſcribuntur, de paratu facilibus medicamentis ad empiricum ignotum auctorem pertinent. Commentarii in aphoriſmos Hippocratis, qui ejus nomen gerunt, ſpurii ſunt *x*).

u) vid. Graecorum chirurgici libri e collectione Nicetae, edit. Ant. Cocchio. Florent. 1754. fol.

x) Fabric. bibl. Graec. ed. Harleſ. Libr. II. c. 23. §. 21. Tom. II. pag. 547.

§. 330. Nova quidem & auctori propria in hac vtraque collectione non reperiuntur, niſi medicamenta compoſita, quae Hallerus *y*) ex parte citat: attamen ejus collectionum libri ideo ſumme vtiles ſunt, quod excerpta ex pluribus medicis antiquioribus continent, quorum libri interierunt. Scarificationem, ſanguine poſtea per cucurbitulas extracto, primum omnium eum memoraſſe Jo. Freindius *z*) refert: ſed Galeno jam ſcarificatio κατὰ πληγὴν & κατὰ συρμὸν, quae per cucurbitulas fit, *a*) & Caelio Aureliano nota erat. Caeterum lycanthropiam (§. 320.) omnium primus deſcripſit.

Eodem quarto ſaeculo, ſed incerto ejus tempore, Nemeſius vixit, libri de natura hominis auctor, in quo Galeni de phyſiologia doctrinam in epitomen redegit. Hunc circulationem ſanguinis primum memoraſſe multi perperam dixerunt.

y) Haller bibl. med. pract. T. I. p. 283.

z) Freind in hiſtor. med. edit. Pariſ. 1735. 4. pag. 141.

a) Galen. de cucurbitulis, ſcarificatione, caet. c. 18.

§. 331.

§. 331. Theodorus Priſcianus, ſeu, vti interdum vocatur, Quintus Octavius Horatianus, Vindiciani (§. 317.) diſcipulus, qui adeo exeunte ſaeculo quarto floruit, a quibusdam pro methodico habitus *b*), ab aliis pro empirico *c*), neque puram methodicorum, neque empiricorum, doctrinam ſectatus eſt in libris de curationibus, quos ſcripſit, & de diaeta, ſed rationalem diſciplinam quidem amplexus, in locis, vbi methodicos exſcribendos habebat, (& longe maximam partem libri ſui ex aliis deſumſit) hos, vbi empiricos, empiricorum diſciplinam ſequutus eſſe videtur. Tertius ad Victoriam liber de paſſionibus mulierum *d*) totus methodicorum ſectam redolet, ex methodico, Sorano forſan, excerptus. Libri reliqui minus ad methodicorum magis ad empiricorum doctrinam pertinent. Secundus ad Euporiſtum liber totus ad mentem dogmaticorum compoſitus eſt, multa tamen medicamenta empiricorum more propoſita continet. Generatim parcus in ſcribendis morborum hiſtoriis, cauſisque enarrandis, copioſiſſimus vero in medicamentis enumerandis fuit, vt empiricis fere propior ſit, quam dogmaticis.

b) v. g. a Clerico Part. II. L. IV. Sect. I. cap. 13. pag 495. a Freindio hiſt. med. edit. citat. p. 169.

c) Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 293.

d) vid. editionem Octavii Horatiani cum Albucaſis chirurgia, per Hermanum Comitem a Neuenar. Argent. 1532. fol. pag. 72. ſeq.

§. 332.

§. 332. Maximam famam inter dogmaticos horum temporum Aetius conſequutus eſt, Amidae, Meſopotamiae, ad Tygrim fluvium, vrbe, ſeu, vt Marſilius Cagnatus voluit *e*), Abydi natus, qui Juſtiniani temporibus, & quidem tempore inter annum DXL & DL libros ſuos ſcripſit *f*), cum Aetio Antiocheno aliisque hujus nominis medicis non permutandus. Alexandriae medicinali ſcientiae operam dedit. Oleum Nardinum ſe ipſum Alexandriae praeparaſſe perhibet *g*). Chriſtianus fuit *h*), & quidem primus e medicis celebrioribus, qui hanc religionem profeſſi ſunt. In aula Conſtantinopolitana comitis obſequii honoribus functus eſt.

e) Marſil. Cagnat. var. obſervat. L. IV. c. 18. ed. Rom. 1587. p. 324.

f) Cl. Weigel in ſpecim. exercit. Aetianar. p. 8.

g) Aetius tetrab. I. Serm. I. pag. 22. Collect. Henr. Stephan.

h) Quod probat conſilium, quod tetrab. II. Serm. IV. c. 50. p. 40. Coll. Henr. Stephan. dedit, ex quo etiam intelligitur, quomodo Chriſtianae religioni addicti medicinam facere conſueverint. *Ad eductionem eorum, quae in tonſillas devorata ſunt. Statim te ad aegrum deſidentem converte ipſumque tibi attendere jube ac dic: Egredere os, ſi tamen os, aut quicquid tandem exiſtis, quemadmodum Jeſus Chriſtus ex ſepulchro Lazarum eduxit, et quemadmodum Jonam ex ceto. Atque apprehenſo aegri gutture dic: Blaſius martyr et ſervus Chriſti dicit, aut aſcende, aut deſcende.*

§. 333.

§. 333. Syſtema medicinae practicae pro horum temporum ingenio perfectum condidit (§. 321.), diaeteticen nempe, pharmaceuticen & chirurgicen complectens. Idque editores libri ejus in libros quatuor digeſſerunt, quorum vnusquisque quatuor ſermones contineret. Ad hoc vero ſyſtema aliorum dogmaticorum omnium more, minus proprio ingenio, magis aliorum laboribus vſus eſt, Galeni praeſertim, quem ſaepius in capitum inſcriptionibus auctorem, quo vſus fuerit, nominavit, ſubinde vero exſcripſit repetiitque non nominatum *i*). Aliis quoque permultis medicorum operibus vſus eſt. In oculorum morbis enarrandis multa ex Demoſthenis Maſſiliotae & Severi medici libris depromſit. Multa quoque habet ex Dioſcoride, Archigene, Herodoto, Leonida, Rufo, Apollonio Stoico, Marcello Sidite, Juſto, Antyllo, Philagrio, Poſſidonio, Philumeno, caet. deſumta. Quae ex Hippocrate hauſit, fere ex ſpuriis ejus auctoris libris ſunt *k*). Caeterum methodicum fuiſſe Aetium, quidam inde probare ſtuduerunt, quod in medicamentis adſtrictionis & relaxationis virtutem eſſe exiſtimavit *l*): quod quidem etſi verum eſt, methodicus tamen dici nequit, quoniam rationales medici, Dioſcorides, Galenus eandem vim in medicamentis jam deſcripſerant. Et Galenum in medicamentorum virtute tradenda tam preſſe ſequutus eſt Aetius, vt tetrabiblii I Sermo I praeter epito-

men dictorum a Galeno in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus nihil contineat. Si etiam interdum ad methodicorum mentem ſcripſiſſe videtur, id ideo factum eſſe putandum eſt, quod methodico auctore vſus fuit. Ipſe enim dogmaticus fuit, & quidem Galeni ſectator.

i) Exempla, quae multiplicari valde poſſent, collegit Cl. Weigel in exerc. Aet. ſpecim. p. 16.

k) v. g. tetrab. II. Serm. II. c. 97. p. 296. collect. H. Stephan.

l) vid. Weigel p. 18.

§. 334. Quum raro proprio ingenio, ſaepiſſime aliorum, vſus ſit, quaenam primus dixerit, quaeque nova in medicina detexerit, difficulter eruitur. Neque quae ei ab hiſtoriae medicinae ſcriptoribus adſcripta ſunt, omnia ad eum pertinent. A dracunculo pendentem morbum (§. 324.) primum eum deſcripſiſſe Freindius *m*) refert: ſed hunc morbum Agatharchides jam deſcripſerat. Primum eum de cute hydrope ἀνὰ σάρκα laborantibus incidenda vtiliter praecepiſſe idem Freindius *n*) refert; ſed haec curandi ratio antiquior erat, & Caelio pneumaticisque medicis jam nota. Neque vlcera diuturna Aetius medicinali artificio primus concitavit: de vſtione enim & per eam concitando vlcere, quod non ſtatim ad ſanationem perducendum ſit, Hippocrates & Caelius jam praeceperant. Omnia fere ejus merita circa medicinam pathologico-practicam haec ſunt, vt elephantiaſin melius, quam Galenus, deſcripſerit, licet

licet non negandum ſit, cum permulta ad hunc morbum pertinentia ex aliis, maxime ex Archigene hauſiſſe *o*): vt quo modo cavendum ſit, ne hoc malum in alios tranſeat, optime enarrarit, propriaque obſervatione duce vim medicamentorum quorundam ad hunc morbum expoſuerit. Oculorum morbos primus, verum ſpeciebus ſumme multiplicatis, expoſuit: ſed in hac ampla de iis tractatione non ſatis intelligi poteſt, quae ab ipſo, quaeque a Demoſthene, Severo, aliisque profecta ſint.

m) Freind. hiſt. med. p. 148.

n) Freind. ibid. p. 149.

o) cf. librum doctiſſimum Hensleri, V. Ill. vom abendländiſchen Ausſatze im Mittelalter. Hamburg 1790. 8. p. 204.

§. 335. In morborum deſcriptione non magnam operam collocavit. Verum longe ſtudioſius, pro ſaeculi ſui more, in medicamentis verſatus eſt, quorum ad vnumquemque morbum tantam copiam tantamque varietatem commendavit, vt vbique intelligatur, eum in vſu medicamentorum plane ſecundum empiricorum poſt Galenum morem eſſe verſatum. Hi enim neque ſemper ex indicatione medicamenta praeceperunt, neque, ſi indicationem eorum, quae mutanda eſſent, habebant, huic indicationi per debita medicamenta ſatisfecerunt. Frigidae, calidae, humidae, ſiccae qualitatis medicamenta promiſcue ad eundem fere morbum adhibuit, neque fere vnquam quan-

do hujus, quando alius virtutis medicamenta adhibere oporteat, praecepit. Ut ideo, & majore jure, quam methodicis eum adnumerarunt quidam, ad hos referendus ſit, qui in theoria dogmaticorum, in medicamentis in morbis adhibendis empiricorum diſciplinam ſequuti ſint. Sed is temporum eorum mos erat, vt, nullo diſcrimine facto, medici curationem morborum eo perfectiorem praecipere ſe poſſe putarent, quo magis medicamentorum copiam multiplicaſſent.

§. 336. Ad optimos hujus periodi dogmaticos medicos referendus eſt Alexander Trallianus, qui, etſi Galenum in theoria ſequebatur, & proprio ſtylo, ſincero, brevi, perſpicuo, & proprio judicio vſus eſt, neque in congerendis corradendisque pharmacis laboravit, ſed morbos diligentius, quam ſuorum temporum medici facere conſueverant, deſcripſit, eorum diſcrimina, ſpecies, pro cauſarum diverſitate, conſtituit, medicamentaque his ſpeciebus accommodata, & quidem, pro ſaeculi ſui ingenio, permulta praecepit. Hic vir ad propriam obſervationem natus, qui & in practica medicina efficaces quasdam curandi rationes, neglectas vſque ad ejus tempora, vulgatiores fecit, & medicamenta quaedam primum adhibuit, quae hodie adhuc ſumma laude celebrantur, nullum ex majoribus ſequutus eſt, & ipſum adeo Galenum, vbi in errores eum lapſum eſſe putabat, correxit.

§. 337.

§. 337. Trallibus natus eſt, Lydiae vrbe, eodemque fere, quo Actius, tempore, Juſtiniano nempe imperante, floruit. Romae vixit & in hac vrbe artem exercuit: in reliqua etiam Italia, Tuſcia, Aegypto, medicinae exercitio famam ſummam conſequutus eſt. In febribus aliisque morbis biliosis putridisve humorem impurum evacuandum eſſe cenſuit, ad primosque medicos pertinet, qui febrium curationes per evacuantia medicamenta aggreſſi ſunt. Morborum cauſas ſecundum quatuor humores, quos fere vbique in culpa eſſe putabat, ſedulo diſtinxit eundemque morbum diverſo modo eſſe curandum docuit, ſi a ſanguine, bile, pituita, aut atra bile naſceretur. Ubi vero vnum alterumve horum humorum ſubeſſe autumabat, hunc per potentes medicinas eduxit. Sanguinis miſſionem in inflammationibus, in omnibus febribus, vbi aeſtus vi aeger excruciatur, & in omnibus morbis ab abundantia ſanguinis natis frequentius, quam medici ante eum, adhibuit. Hinc quoque in ſyncope a repletione nata evacuationem neceſſariam eſſe notavit. Dyſenteriae ſanationem non omnem in alvi adſtrictione conſiſtere, ſed non raro in evacuatione quoque, docuit. Fructuum horaeorum pomorumque vſum dyſentericis convenire primus dixit. Opium hoc morbo laborantibus frequenter dedit. Phrenitidem ab eo morbo, in quo ſeptum transverſum inflammatum eſt, diſtinxit. Epilepſiam,

lienis ſcirrhum, purgantibus ſanavit: podagram, de qua toto libro XI egit, ſecundum intemperiei diverſitatem & quatuor humorum naturas optime digeſſit. Veſicas excitantia medicamenta ad eam primus adhibuit. Multos raros morbos vidit, lienis ſcirrhum, tubercula in pulmonibus, quae frigefaciente & relaxante medicina ſananda praecepit. Medicamenta quaedam primus in vſum vocavit ſumme efficacia, rhabarbarum, ferrum, quod medici ante eum ad externos vſus tantum adhibere conſueverant.

§. 338. Referendus quoque ad dogmaticos eſt Theophilus, Philaretus, Philotheus quoque dictus, qui ſub Heraclio (ab anno poſt Chriſtum DCX vſque ad annum DCXLI) floruiſſe dicitur, protoſpatharius a munere dictus, quo in aula Conſtantinopolitana functus eſt. Primus omnium librum de vrinis ſcripſit, in quo Galenum ſtrictim ſequutus eſt. Scripſit quoque de corporis humani fabrica libellum, in quo Galeni de vſu partium libros exſcripſit, & de pulſibus, in quo Galeni libros de praeſagiis ex pulſibus in epitomen redegit. In libro de excrementis theoriam de quatuor humoribus amplexus & Galenum pariter ſequutus eſt. Auctor quoque commentariorum in aphoriſmos Hippocratis extitit. Diſcipulum habuit Stephanum Athenienſem, cujus commentarii in librum Galeni de methodo medendi ad Glauconem adhuc ſuperſunt.

§. 339.

§. 339. Incerto tempore, attamen ſaeculo ſeptimo, vixit Paulus, a patria Aegineta dictus, qui, & quidem in Aegypto, aut alia regione, Saracenorum imperio ſubdita vixit, vt Hallerus *p*) voluit, vt vero ex eius ipſo libro patet *q*), in Italia, aliave provincia Romanorum imperio ſubdita, quemque in primis in chirurgia exercitatiſſimum fuiſſe ex ipſo eius, quod ſupereſt, opere, patet. Quae enim ad diaeteticen & pharmaceuticen pertinentia in ſuo opere protulit, omnia ſe ex Oribaſio in portatile compendium redegiſſe ipſe fatetur, pauculis a ſe additis. Vſus quoque eſt ad eandem epitomen conſarcinandam Aetii & Alexandri libris.

p) Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 311.

q) Paulus Aeginet. Libr. III. c. 43. p. 464. Coll. Henr. Stephan.

§. 340. Quo minorem vero laudem, ob compilatoris officium, quo functus eſt, meruit in dictis medicinae partibus, eo majorem gloriam conſequutus eſt chirurgia poſt Hippocratem & Corn. Celſum ita tradita, vt neque in multitudine operationum chirurgicarum, quas deſcripſit, neque in modo ipſas operationes enarrandi facile quidquam poſſis deſiderare. Primus quomodo puerperis laborantibus manus apta ſuccurrere debeat perſcripſit, hinc a Saracenis obſtetricius dictus *r*). Sexto libro operis ſui de re medica operationes chirurgicas, a capite ad calcem deſcenſu facto,

deſcripſit, in quibus quidem etiam Corn. Celſum, non tamen ſine contradictione & proprio judicio *s*), ſequutus eſt, aliosque forte, quos non nominavit, attamen & multa propria protulit. Ut quaedam tantum ejus chirurgiae exempla producam, hydrocephalum externum incisione curandum ſuadet, internum oſſe terebra perforato & exempto. Periſcyphiſmum ad oculorum tabem commendavit & deſcripſit. Palpebras medicamento ex calce viva & ſapone compoſito vſſit. Modum arterias pone aures incidendi deſcripſit. Ad peregrina corpora in aures illapſa extrahenda multa eaque vtiliſſima tradidit. Polyporum varios curandi modos, etiam per ligaturas, propoſuit: tonſillas tumentes, devorationi negotium faceſſentes, commodo inſtrumento excidit. Majores quoque ſtrumas cultro exſcindi juſſit. Aſperae arteriae illam herniam, quae accidit, ſi cartilagines ejus a ſe invicem recedunt & interjecta membrana a ſpiritu inflatur, cognitam habuit. Venarum ſecandarum praecepta & indicationes optime & ita expoſuit, vt minima quoque curaret. Mammas virorum in modum muliebrium turgeſcentes enſe reſcidit. Jecinoris vlcerationem occultam hypochondrio dextro vſto ſanavit. Aquas ex hydropicorum ventre ita emiſit, vt ventrem lanceola incideret, deinde in vulnus fiſtulam immitteret. Hernias, vmbilicales etiam, & morbos verendarum partium complures, & commodam exter-

externam medicinam ad eos, expoſuit. Calculos, etiam adultis, excidit. Curationem aquoſi ramicis variam, etiam per inuſtionem, praecepit. Circumciſionem, etiam mulierum, expoſuit. Ani fiſtulas earumque curationem optime deſcripſit, quam ejus curationem noſtro tempore Petrus Camperus *r*) illuſtravit. Tela, & methodum ea extrahendi copioſe deſcripſit. Fractorum oſſium curationem a capite vſque ad calcem perſequutus eſt *s*).

r) Petr. Camper over de Pypzweeren en uitzakkingen van den Aars, met eigen Aanmerkingen opgehelderd. 1778. 8.

s) cf. de Paulo: Freind hiſtor. medic. p. 179—198. Haller biblioth. chirurg. T. I. p. 311. R. A. Vogel de Pauli Aeginetae meritis in medicinam, in primis chirurgiam Proluſ. I. & II. Gotting. 1768. 4.

§. 341. Palladius in ſynopſi de febribus Galenicae theoriae compendium exhibuit. Nonus, ſaeculi VIII aut X auctor, qui ſcilicet ſub Conſtantino Porphyrogeneta aut primo, aut ſecundo, vixit, librum ſcripſit de omnium particularium morborum curatione, in quo Aetium, Alexandrum, Paulum exſcripſit. Symeon Sethus in ſyntagmate de alimentorum facultatibus catalogum ſimplicium ad mentem Galeni dedit. Quae in libro de podagra ſcripſit Demetrius Pepagomenus, qui ſub Michaele Palaeologo (ann. MCCLXI—MCCLXXXII.) vixit, omnia fere ex Alexandro hauſta ſunt.

§. 342. Zachariae filius, Actuarius, archiater in aula Conſtantinopolitana, iisdem, quibus Demetrius, temporibus, vixiſſe videtur. Libros VI de methodo medendi in legati imperatoris vſum conſcripſit, excerpta ex aliorum medicorum operibus continentes. De palpitatione cordis non propria ipſi, vt Freindii *t*) mens erat, ſed eadem, quae Galenus, protulit. Mitiorum purgantium primus mentionem fecit, caſſiae, mannae, ſennae folliculorum, myrobalanorum. Horum medicamentorum cognitionem a Saracenis accepit. Nucem moſchatam, moſchum deſcripſit. Aquam ex roſis ſtillatitiam, rhodoſtagma, primus memoravit, ſaccharoque ad julapia componenda vſus eſt. Primusque inter Graecos adeo fuit, qui chemiae medicinalis quandam cognitionem haberet.

t) Freind hiſtor. medic. p. 209.

§. 343. Libri ejus etiam ad nos pervenerunt de ſpiritus animalis actionibus & affectibus, in quibus animum ſimplicem, divinum, immortalem eſſe, neque pati poſſe per ſe conſideratum, verum tantum ob ſpiritum animalem, quo tanquam vehiculo, vel miniſtro vtatur, cujusque ope actiones ſuas exſerat, ſtatuit. Spirituum origines eodem modo, quo Galenus (§. 293), tradidit. Quum cum Galeno omnes ſpiritus ex alimentis exſolvi ſtatuiſſet, pravam digeſtionem ſpiritus turbare eosque craſſos et fuliginoſos reddere credidit. Morborum cauſas eodem modo, quo Galenus,

lenus, perſequutus eoque auctore in componendo hoc libro in primis vſus eſt. In libris VII de vrinis Galenum & Theophilum ſequutus eſt.

Caput XXV.

Medicina empiricorum poſt Galenum.

§. 344. Inter ſectas medicorum, quae poſt Galeni tempora adhuc extiterunt, nulla majores & infeliciores mutationes experta eſt, quam empirica. Haec adeo jam ante Galeni tempora propterea coeperat a majorum inſtitutis degenerare, quod inter ejus aſſeclas, in primis cognoſcendi in medicina principiis diſſentientes, quidam autopſiam & obſervationem ſolam ſufficere putabant ad medelam morborum ſecundum empiricorum praecepta inſtituendam, quidam tranſitum a re ſimili ad ſimilem non neceſſarium eſſe putabant ad medicinam, alii vero ſufficere medico ad morborum curationem exiſtimare videbantur, dum is modo medicamenta multa & eorum ad morborum certa genera vſum noſſet. Hoc modo ἡ τρίπους medicinae, quam Glaucias ſenſum, memoriam & epilogiſmum eſſe dixerat (§. 155.), ſenſim vno alteroque pede amiſſo, vnum tandem pedem, & ne hunc quidem, retinuit, empiricis ſibi ipſis omnes medicinae fontes, quos ab auctoribus ſectae conſtitutos majores eorum tam acriter contra dogmaticorum objurgationes defenderant, temere praecludentibus.

§. 345.

§. 345. Origines hujus calamitatis paulo altius, & quidem ex parte ex Heraclidis Tarentini, Cratevae, Herae Cappadocis (§. 178. 179.) laboribus, quos ſimplicibus medicamentis, & compoſitis ex iis faciendis adhibuere, & ab iis omnibus repetendae ſunt, quae medicos omnium ſectarum moverunt, vt in medicamentis ad ſingulos morbos commendandis & copioſiores eſſent, & medicamentorum compoſitiones ſummo ſtudio multiplicarent. Magis tamen contulerunt ad empiricorum ſectam jam ante Galeni tempora deteriorem efficiendam Dioſcoridis labores (§. 268. 269.), quos ſimplicibus medicamentis & medicamentis paratu facilibus impendit, etſi dogmatici hoc auctorē, dogmatico quippe ipſo, magis, empirici vero toto iſto, quo empiricorum ſecta poſt Galenum extitit, tempore, minus vſi ſunt *u*). Maxime vero ad hanc empiricorum degenerationem contulere ii Caji Plinii Secundi in naturalis hiſtoriae opere libri, in quibus medicamentorum ſimplicium virtus hoc modo expoſita eſt, vt auctor eorum praeter morbos & ſimplicem ad eos medicinam valentem nihil memoret, adeoque qui ipſe medicus non fuerat, medicinas ad morbos empiria duce, eaque rudiore, proponeret.

u) Hoc probavi in editione, quam curavi, Quinti Sereni Samonici. Lipſ. 1786. 8. praef. p. 19. & in praefat. ad parabilium medicamentorum ſcriptores antiquos, Norimb. 1788. 8. p. 29. cf. ibi notas meas in Sextum Placitum p. 77. ſeq. & in L. Apuleji herbarium p. 305. ſeq.

§. 346.

§. 346. Quum autem haec temporum poſt Galenum eſſet infelicitas, vt omnis medicorum virtus propria atque cogitatio cum Galeno periiſſe eſſet viſa, empirici idem fecerunt, quod dogmatici, libros ſcilicet ante eorum tempora ſcriptos deſcripſerunt, ea ex iis deſumentes, quae propoſito eorum idonea eſſe putabant. Et ſi quidem generoſos iſtos atque ingenuos empiricos, Philinum, Serapionem, Apollonios, Menodotum, Sextum, Critonem, Theutram, Caſſium, (.150.), Glauciam (§. 155.) Heraclidem Tarentinum (§. 177. 178.) deſcripſiſſent, operae pretium ſane feciſſent, conſervando fragmenta ex ſcriptoribus ſectae medicinalis nobiliſſimae, cujus libri, eo tempore ſcripti, quo nondum degeneraverat, omnes perierunt. Sed hic labor nimis magnus empiricis poſt Galenum eſt viſus, his, quae ad manus erant, contentis & cum ſtudio quodam exquirenda aut fugientibus, aut negligentibus. Graecae etiam linguae, ſaltim ejus, in qua libri majorum ſcripti erant, atque purioris, adeo imperiti erant Romae degentes aut in latino agro empirici, vt Graeca non ſemper, & ſi quoque, praepoſtere intelligerent *x*). Dioſcoridem vero, & quidem in primis ejus de materia medica libros, minus libros de paratu facilibus medicamentis, & Cajum Plinium Secundum, recentiores auctores, & ipſos, hunc ſaltim, lectu faciles, coram habebant: hi ſoli eorum fontes erant, hos praeci-

puos

puos atque principes de medicina auctores esse putabant.

x) Exempla dedi in not. in Luc. Apuleji herbarium cap. IV. p. 309. cap. XVII. p. 317. cap. XXVII. n. 2. p. 321. cap. L. pag. 328. cap. LXI. LXII. LXXII. LXXIII. p. 336. cap. LXXIV. & seq.

§. 347. Verum etsi quidem auctoribus, quos dixi, potissimum vsi sunt, & hoc quidem modo, vt nisi singula, tamen permulta consilia, quae ad morbos dederunt, ad suos fontes, Dioscoridis & Plinii libros, sine difficili labore reducantur *y*), tamen non ideo cogitandum est, eos nihil proprii proposuisse, sed generatim hoc tenendum, vt, vbi tolerabilia proposuerint, eadem, & iisdem quidem saepe verbis, apud Dioscoridem & Plinium reperiri: vbi vero alia, stulta, inepta, superstitiosa, magica, sordida proposuere, haec (etsi eadem apud Plinium non desunt) vtplurimum ex ipsorum capitibus defluxisse. Neque fere vllum ineptorum, sordidorum magicorumque medicamentorum genus est, quo non ipsi morborum curationes sint moliti *z*). Neque in hoc stultitiae genere empirici Galeno aetate propiores ab iis distant, qui a saeculo inde sexto vixere.

y) Feci equidem hoc, vt ostenderem, quo modo & quam oscitanter de his auctoribus medicinalia praecepta praedati sint horum temporum empirici in tractatione, quae historiam empiricorum post Galenum continet & in altera parte libri a Cl. Wittwero editi: *Archiv für die Geschichte der Arzneywissenschaft*, continetur.

z) Dabo

z) Dabo exempla quaedam. Q. Serenus Samonicus cap. XVI. v. 291.

Quos autem vocitant tolles, (tonſillas) attingere dextra
Debebis, qua gryllus erit preſſante peremptus.

Cap. XXXIII. v. 616. ad conceptionem haec ſuadet.

Aut igitur leporis conſumſit femina vulvam,
Aut ovis, in ſtabulis fractas quum ruminat herbas
Pendentem ſpumam molli deducit ab ore,
Atque illam meminit mixto potare Falerno.
Sic cubitum noctu conjux feſtinat vterque.

Cap. XXXIV. v. 658.

Quod ſi foeminei properabit ſanguinis imber,
Eſt, qui fruſta molae percuſſu decutit vno,
Quorum aliquid lanis tectum ad praecordia nectit:
Haec ſimul incantans, ſiſti debere cruorem,
Ut lapis ille viae ſolitos jam deſtitit orbes.

Sextus Placitus Papyrienſis talium remediorum tantam farraginem congeſſit, vt totus ejus liber huc referendus ſit. Quaedam ejus conſilia adducam. Cap. I. n. 19. Ne mulier abortiat. *Lapis qui in vulva, aut in ventriculo cervi invenitur, phylacterium eſt praegnanti et efficit, vt partum perferat. Quod ratio collegit, velociſſimum eſſe illud animal, nec tamen aborſum facere. Similis ratio eſt, ſi officula, quae in vulva, aut in corde cervi reperiuntur, ſecum habuerit, nam eundem effectum praeſtant.* Cap. II. n. 16. Mulier vt maſculum concipiat. *Leporis vulva deſiccata et eraſa in potione efficit, ſi mulier et maſculus ſimul biberint cum bono vino. Si enim ſola mulier biberit, infans nec maſculus verus, nec femina vera naſcetur.* Cap. XVII. n. 19. Ad febres acerrimas. *A veſtigio ſpadonis diſcedentis a janua ſi ſuſtuleris quodlibet, dicens: tollo te, vt iſte Grajus febribus liberetur. Nominabis eum ad cujus bra-*

brachium ſuſpenſurus es, ad id vero loqueris, ad quod ſuſtuleris. Cap. XXIV. n. 4. Si quis ad mulierem non poteſt. *Vulturis renes aut teſtes ſiccos tundes et dabis cum vino ei, qui cum vxore ſua concumbere non poteſt, remedium obtinebit.*

Ex Lucio Apulejo haec exempla addam: Cap. XVI. n. 3. Si quis mulierem non poterit affectare. *Herbae priapiſci radicem, id eſt teſticulum dextrum, teres cum piperis albi granis XLVII — in vino optimo medicamen ſolvis et pondo ſcrupulorum novem per triduum ſumes.* Cap. LXXI. n. 1. Adverſus occurſus malos. *Herbae verbaſci virgulam qui ſecum portaverit, nullo metu terrebitur, neque beſtiae, neque occurſus mali moleſtabunt hunc.* Cap. LXXIII. n. 1. Ut in via tutus ambules. *Herbam Heracleam ſi tecum portaveris latrones non timebis: quin etiam fugat eos.* Cap. CII. n. 2. Mulier vt cito pariat. *Coriandri ſeminis grana vndecim aut tredecim in linteolo mundo de tela alligato, puer et puella virgo ad femur ſiniſtrum prope inguen teneat, et mox, vt peractus fuerit partus, remedium cito ſolvat, ne inteſtina ſequantur.*

§. 348. Contulere ad hanc medicinae empiricae infelicem mutationem praeter ignaviam ingeniorum, quam enarravi, quaedam aliae cauſae. Philoſophia, quam melioris ſortis homines his temporibus tractabant, ſi ad magiam, ad ſuperſtitionem qualemcunque ducebat, ſi per eam hominibus herbis, verbis, lapidibus ſupernaturalem vim tribuere licebat; ſi in hoc miraculorum, quod dicam, aevo, Romanorum, Graecorum religio homines ab eo deducebat, vt a naturalibus cauſis naturales effectus expectarent, a qua culpa etiam,

etiam, etſi Chriſtianorum religio vtique liberari debet, non tamen Chriſtiani, quales his temporibus erant, liberandi ſunt: ſi in his inquam communis cultiorum etiam hominum verſabatur opinio, nulla ſane alia, quam infimae ſortis medicina expectanda erat ab hominibus, qui medicinam, inprimis popularem, & ad vulgi vſum commodam & docere, & exercere volebant, quosque adeo, ſi etiam meliora fuiſſent edocti, ad ea, quae vulgus ſentiebat, deſcendere oportuit.

§. 349. Ad rationem conſiliorum, quae empirici dabant, intelligendam, ſciendum praeterea eſt, duplex his temporibus medicorum empiricorum genus extitiſſe. Alii medicamenta componebant, eorumque virtutem depraedicabant, vt quaeſtum compoſitionum ſuarum eo majorem facerent, quo magis eas ipſi laudaſſent *a*). Quo propoſito excidere non facile poterant temporibus, quibus effeminati hominum mores luxuriaque vitae vim fregerant, quibus multum intererat corpora adverſus futuras injurias & adverſus venena munire. Alii empirici, miſeratione plebis pauperumque ducti, libros de paratu facilibus medicamentis conſcripſerunt, ad Dioſcoridis & Galeni inſtitutum, ligata quoque oratione, (etſi hoc argumentum verſibus ineptiſſimum eſt vt conſilia facilius memoria retineri poſſent. Hi libri, ad quos Quinti Sereni Samonici & Vindiciani carmina referenda ſunt, nobiliſſimum quidem finem

habuere *b)*: at quum empiria rudiore argumentum ſuum pertractatum exhibeant, neque quidquam, niſi medicamenta ad morborum nomina praecipiant, parum ad felicitatem hominum augendam, ad medicinam vero amplificandam nihil contulerunt.

a) Artificia, quibus medicamentis ſuis emptores conciliare ſtuduerunt medici Galeni jam temporibus, & ante ea, eleganter expreſſit Philo in carmine, quo φιλώνιον ſuum laudat, quod ex Galeno iterum exhibuit Jo. Gorraeus, in def. medic. edit. Francof. 1601. fol. p. 491.

b) vid. Q. Seren Samonic. Cap. XXII. v. 396.

Quid referam multis compoſta Philonia rebus?
Quid loquar antidotum variis? Dis iſta requirat:
At nos pauperibus praecepta feramus amica.

§. 350. Aliud empiricorum genus erat, quod rure degebat, & inferioris conditionis hominibus medicinam faciebat. Hi ruſticorum medici, ruſtica etiam conſilia dabant, neque aliam medicinae cognitionem habebant, niſi ruſticam, neque aliam ſcientiam, niſi cognitionem qualemcunque medicinarum, ad communem vulgatumque vſum commodarum. Ad hoc genus medicorum Sextum Placitum & Lucium Apulejum, herbarii auctorem, referendos eſſe puto. Generatim notandum eſt, empiricorum poſt Galeni tempora famam exiguam fuiſſe. Neque adeo forſan ſcholas habuere hi rudiores ruſticique empirici.

§. 351. Scripſerunt vero omnes empirici hoc modo, quem & Galenus in libris de medicamentis

tis ſimplicibus & compoſitis obſervaverat, vt primum morbos nominarent, deinde conſilia ad eorum curationem darent: & quidem vt argumentum ſuum aut ita pertractarent, vt, medicina prius dicta, ejus virtutes ad morbos diverſos breviter & aphoriſtico dicendi genere enarrarent, ad quos Sextus Placitus, Lucius Apulejus, auctorque, ſi a Lucio Apulejo differt, libelli de herba vetonica pertinet: ſive vt morbi genere primo loco poſito, diverſa medicamenta ad id commendarent, ad quos Quintus Serenus Samonicus & Plinius Valerianus referendi ſunt. Tertium genus eſt eorum, qui compoſitiones medicamentorum perſcripſerunt. Ad eos pertinent ex antiquioribus Scribonius Largus Deſignatianus (§. 259.) qui ante Galenum vixit, Marcellus Empiricus, Nicolaus Myrepſus.

§. 352. Nunc idem inſtitutum, quod in dogmaticis poſt Galenum fueram ſequutus, perſequar empiricosque poſt Galenum, ſecundum temporum, quibus vixerunt, ordinem, enarrabo. Et licet quidem de his, quae invenerint, aut in quibus medicinam emendaverint, dici vix multa poſſint, intererit tamen ſcire, in quo medicinae genere quisque eorum elaboraverit & qua fortuna in componendo opere ſuo vſus ſit.

§. 353. Duo Sereni ſunt, quibus carmen, quod praeceptorum de medicina ſaluberrimorum titulo adhuc extat, adſcribitur, pater, a Cara-

calla (ann. CCXI vſque ad ann. CCXVII poſt Chriſtum) occiſus, filius, Alexandro Severo (ab anno CCXXII vſque ad ann. CCXXXV) notus & dilectus *c*). Medicinam carminis auctor ipſe exercuit, ad propriam experientiam quippe non raro provocans *d*). Carmen ipſum 1115 verſibus hexametricis morborum curationem a capite ad alias partes deductam, omiſſis vtplurimum, quae ad diagnoſin & prognoſin pertinent, continet. Et quidem hoc propoſitum habuit carminis auctor, vt verſibus, qui memoria facile poſſent retineri, conſilia medica, morbos per medicamenta paratu facilia viliorisque pretii curandi, in pauperum in primis vſum conſcriberet *e*). Horumque conſiliorum pars longe minima auctori propria, longe major ex Dioſcoride & Plinio, quem quoque citat *f*), deſumpta eſt. Carmen caeterum ſatis elegans terſumque eſt, ſi tempus, quo ſcriptum eſt, & materiam carmini minus idoneam conſideres. Multa quoque conſilia in eo ſatis bona vtiliaque ſunt: attamen non deſunt quoque conſilia vana, ſordida, magica, ad quod genus abracadabra illud, ad febrem ſemitertianam curandam ab eo praeſcriptum g), inter alia plurima pertinet.

c) Argumenta vtramque opinionem aut confirmantia, aut infirmantia expoſui in praef. ad Q. Serenum pag. 8. ſeq.

d) v. g. cap. XX. v. 370. cap. XXII. v. 405.

e) cap. XXII. v. 396. ſeq. cap. XXVIII. v. 523. vid. quoque quae de his notavi in praef. ad Q. Seren. p. 18.

f) vid.

f) vid. praef. meam ad Q. Seren. p. 20.

g) cap. LII. v. 944.

§. 354. Sextus Placitus, Papyrienſis, libelli de medicamentis ex animalibus auctor, ignotae aetatis ac dignitatis homo, qui tamen exeunte forſan ſaeculo quarto vixit *h*), empiriam ſumme rudem docuit, plenam ſuperſtitionis & peſſimarum ſordidarumque rerum qualiumcunque. Animalium medicinam XXXIV capitibus complexus eſt, ita vt nomine animalis prius propoſito medicinas ex ſingulis ejus partibus ad diverſos morbos proſequutus ſit. Plinium potiſſimum ſequutus eſt, eumque ſaepe ita exſcripſit, vt verba verbis reſpondeant *i*). Excerpta ex hoc libro circa annum MLXXXIX confecit Conſtantinus Africanus, monachus Caſinenſis, quae adhuc extant *k*).

h) vid. praefat. meam ad parabil. medicamentor. ſcript. antiq. pag. 13.

i) Quod probavi in praefat. ad parabil. medicamentor. ſcriptores & in notis ad Sextum Placitum a pag. 77.

k) Edidi haec excerpta Conſtantini cum reliquis parabil. medicamentor. ſcript. p. 115. ſeq.

§. 355. Libellus, qui de herbarum virtutibus extat, Lucio Apulejo, Madaurenſi, qui ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho (ab ann. CLXI vſque ad ann. CLXXVI poſt Chriſtum) floruit, non adſcribendus, ſed alii, aut Apulejo, aut quae probabilior conjectura eſt, Sexto Placito (§. 354.), qui poſtquam in animalibus vires ſuas expertus fuerat, facile perduci potuit, vt in herbis easdem

experiretur: inter vtrumque enim de medicina ex animalibus & de medicaminibus herbarum librum ſumma ſimilitudo eſt *l*). Cujuscunque vero originis ſit hoc herbarium, plantarum nomina & ſubinde deſcriptiones rudi Minerva ex Dioſcoride factas, talesque complectitur, quae probant, Graeci ſermonis ſumme ignarum auctorem fuiſſe, deinde conſilia, quibus morbi modique nominantur, plantarum ipſarum ad medicinales vſus adhibendarum. Ad haec conſilia minus Dioſcoride, magis Plinio vſus auctor eſt. Neque Sexto Placito in ſordidis, ridiculis, magicis conſiliis cedit. Ab eodem herbarii auctore libellus de herba vetonica, qui Antonii Muſae nomine circumfertur, compoſitus eſt: particulam enim hujus herbarii conſtituit *m*).

l) vid. praef. meam ad parabil. medicamentor. ſcriptores antiq. p. 25.

m) vid. Proluſ. meam de Antonio Muſa Auguſti medico. §. 7. p. 20.

§. 356. Caelius Apicius, ignotae aetatis & conditionis ſcriptor, ad empiricos referendus eſt ob libros ab eo X de arte coquinaria ſcriptos, qui docent quantum & quo modo haec diaetetices pars apud Romanos exculta fuerit & quantum Romanorum guſtus a noſtro differat. Libri ejus eodem fere modo conſcripti ſunt, quo empiricorum de medicamentis compoſitis libri.

§. 357.

§. 357. Marcellum medicamentaque ex eo Aetius *n*) citat, ipſique Marcelli de medicamentis libro, qui adhuc ſupereſt, praefatio praefixa eſt, quae docet Marcellum ex magno officio Theodoſii ſenioris & illuſtrem virum fuiſſe, (qui titulus erat, quem imperatores poſt Conſtantinum tribuerunt petentibus aut promeritis). Duos Marcellos extitiſſe, de compoſitis medicamentis ſcriptores, vero ſimile eſt, & alterum quidem ex magno officio Theodoſii Magni ejusque archiatrum, ab Aetio citatum, alterum vero ſeriorum temporum medicum, & libri de medicamentis, qui ad nos pervenit, auctorem, qui Plinios duos citat & Apulejum *o*), vltimum ſcilicet Plinium Valerianum & Apulejum, herbarii (§. 355.) auctores, Theodoſio recentiores. Sola praefatio teſtatur Marcellum libri de medicamentis auctorem ſub Theodoſio vixiſſe: ſed haec praefatio ab alio, ignotae quoque aetatis homine, profecta eſt, qui quoque ei de medicamentis libro epiſtolas Largi Deſignatiani, Hippocratis, Plinii Valeriani, Cornelii Celſi ad Pullium Natalem & Vindiciani ad Valentinianum praefixit *p*). A capite ad reliquas partes deſcendens compoſita medicamenta ad ſingulos morbos auctor deſcripſit. Absque vllo judicio aut ſelectu verſiſſima, ſtolidiſſima quaeque corraſit. Scribonii magnam partem compilavit ſuamque fecit, qui ideo nullam fidem meretur, etiam quando ad propriam experientiam

provocat. Morbos barbara dictione recenſuit quidem, ſed non deſcripſit. Cauſas, quarum nullum diſcrimen fecit, ne noviſſe quidem videtur. Cuique malo farraginem medicinarum compoſitarum ſaepe ſordidarum, magicarum, oppoſuit. Medicamentum ex ferro & aceto per XIV dies in fimo digeſtis praecepit, quod ad chemiae pharmaceuticae primordia inter Graecos referendum eſt *q*).

n) Aetius tetr. III. Serm. I. c. 49. p. 506. Coll. H. Stephan.

o) pag. 242. Coll Henr. Stephan.

p) pag. 245. in ead. collect.

q) vid. Haller bibl. med. pract. T. I. p. 294. 295.

§. 358. Plinio Secundo, ſive Plinio Valeriano, incerti temporis empirico, libri quinque de re medica adſcribuntur, qui adhuc extant & remedia ad morbos a capite vſque ad calcem, deinde ad febres, externos morbos, venena, poſthac de alimentis, quae medicamentorum vim habent, denique diaetae praecepta ad ſingulos morbos continent. Siburium verum ejus operis auctorem fuiſſe Günzius *r*) autumavit. Continet hic liber excerpta ex Galeno, Alexandro Tralliano, & ita compoſitus eſt, vt primum morborum nomina & ſymptomata quaedam, deinde medicamenta ad eos permulta enarrentur. In virtutibus medicamentorum Galeni gradus auctor ſtatuit & in diaeta praeſcribenda ad ſingulos morbos dogmaticos, in primis Galenum, ſequutus eſt, vt

ideo

ideo peculiare medicinae ſyſtema ex empirico & dogmatico compoſuiſſe videatur.

r) J. Gottfr. Günz de auctore operis de re medica vulgo Plinio Valeriano adſcripti. Lipſ. 1736. 4.

§. 359. Oribaſium, dogmaticum medicum, Galeni ſectatorem & epitomatorem (§. 328. 329. 330.), empiricus quidam excerpſit eaque excerpta tribus libris comprehenſa, ſub Oribaſii nomine & euporiſton ad Eunapium titulo ad nos pervenerunt. Tertius liber titulum de confectione ciborum habet. Extat praeter hos Oribaſii medicinae compendium, ex ſynopſi ad Euſtathium filium extractum, quod diaetetica in primis praecepta continet, & de curationibus liber, pari modo ex ſynopſi compoſitus. Compoſita medicamenta ſingulari libro tradita ſunt *s*).

s) Editi libri, quibus haec ſpuria & ad empiricam medicinam referenda Oribaſii opera continentur, textum tam diverſum exhibent, vt eosdem hos libros a diverſis auctoribus diverſo modo mutatos eſſe facile intelligas. Qui in collectione Baſil. 1529. fol. cum Caelii Aureliani chronicorum morborum libris prodiere libri Oribaſii ab iisdem in Veneta editione cura Jo. Bapt. Raſarii ann. 1558. emiſſis & in collectione Henr. Stephani editis p. 574. ſumme differunt.

§. 360. Tandem inter empiricos memorandus eſt Nicolaus Myrepſus, qui ſaeculo XIII exeunte & quidem Alexandriae & in Italia vixit, Graecus ſcriptor, qui quidem, etſi a reliquis empiricis neque in multitudine medicamentorum, neque

in cura exigua, quam eis deligendis adhibuit, neque in ſuperſtitione, neque in ſplendidis titulis, quibus compoſitiones ſuas ornavit, neque tandem in eo differt, quod morbos non deſcripſit, ſed nominavit tantum, ideo tamen memorandus eſt, quod auctor inter Graecos primus atque princeps ejus libri fuit, qui medicamentorum praeparationes atque compoſitiones in medicorum ſui & futuri temporis vſum vulgarem contineret. Diſpenſatoria poſtera aetas dixit. Hoc libro Nicolaus Alexandrinus, ſeu potius Salernitanus, primus latini diſpenſatorii auctor, quem Salernitani medici & Arabiſtae paene omnes ad initium vſque ſaeculi XVI ſequuti ſunt, ita vſus eſt, vt CL & plura capita ex eo exſcripſerit.

§. 361. Etſi quidem non ignoro diſpenſatoriorum primam inventionem ad Saracenos eſſe referendam, a quibus quoque, quod infra copioſius docebo, res omnis ad apothecas, confectionarios, ſtationarios, caet. pertinens primum inſtituta eſt; Nicolao Myrepſo tamen haec laudis particula qualiscunque detrahi nequit, vt primus inter Graecos fuiſſe exiſtimandus ſit, qui diſpenſatorium, ſeu normam a reliquis confectionariis in praeparandis confectionibus, & a medicis in compoſitis medicamentis praeſcribendis obſervandam conſcripſerit. Univerſum opus auctor per XLVIII medicamentorum diverſas formas digeſſit, in iisque, qui Alexandriae vixit & in Italia,

Italia, Saracenos potiſſimum ſequutus eſt. Hinc ejus diſpenſatorium quoque medicamentorumque formas, quas propoſuit, non prius deſcribam, quam Saracenorum circa hanc rei medicamentariae partem meritis expoſitis, ad Salernitanorum medicorum circa eandem merita pervenero.

Caput XXVI.

De legibus et principum decretis medicorum et medicinae cauſa datis.

§. 362. Nunc argumentum, quod ſupra (§. 256.) inſtitueram, perſequar legesque & decreta enarrabo medicorum & medicinae cauſa a principibus data, curamque quam ad valetudinem civium tuendam magiſtratus impenderunt. Medicorum conditio talis, qualem (§. 256.) deſcripſi, ad Conſtantini Magni vſque tempora fere manſiſſe videtur. Fuere ſcilicet in vrbibus medici, vacationem a muneribus publicis habentes, archiatri dicti: fuere vero etiam alii, neque hanc vacationem, neque archiatri titulum, qui immunitatem a muneribus publicis deſignabat, habentes. Archiatrorum numerum Antoninus Pius (ab anno CXXXVIII vſque ad ann. CLXI poſt Chriſtum) in ſingulis civitatibus certum conſtituerat, ita vt minores civitates quinque medicos immunes, majores ſeptem, maximae autem decem habere poſſent. Maximo autem medicorum numero vti decebat metropoles gentium; ſecundo, quae vel

forum

forum cauſarum, vel loca judiciorum habebant, tertio autem reliquas *t*). Hunc numerum excedere non licebat, neque ſententia ſenatus, neque ex alia quadam cauſa: minuere autem licebat, vt immunium a civilibus muneribus numerus minueretur *u*).

t) l. 6. §. 1. 2. D. de excuſationib. *Minores quidem civitates poſſunt quinque medicos immunes habere, et tres ſophiſtas et grammaticos totidem: majores autem civitates ſeptem, qui curent, quatuor qui doceant vtramque doctrinam, maximae autem civitates decem medicos et rhetores quinque et grammaticos totidem. Supra autem hunc numerum ne maxima quidem civitas immunitatem praeſtat.*

u) *Excedere quidem hunc numerum non licet, neque ſententia ſenatus, neque alia qua adinventione: minuere autem licet, quoniam pro muneribus civilibus apparet hoc tale factum.* c. l. 6. §. 3.

§. 363. Qua immunitate vt fruerentur medici, opus erat, vt ex decreto ſenatus ejus civitatis, in qua medicinam aegris facere volebant, inſcriberentur numero archiatrorum & circa operationem ſe negligentes non haberent *x*): vt vero inſcriberentur, opus erat, vt ſuam artis medicae ſcientiam probarent *y*). Qui hac probata archiatrorum numero adſcripti erant & medicae ſcientiae famam eximiam erant conſequuti, etſi ſupra numerum archiatrorum erant & in aliena patria medicinam faciebant, immunes tamen erant ejusdem Pii Antonini juſſu *z*). Reprobari poterant medici, quamvis ſemel probati, ſi in munere ſuo negligentes ſe gerebant *a*).

x) l. 6.

x) l. 6. §. 4. D. de excuſationib.
y) c. l. 6. §. 6. cf. Symmach. epiſt. Libr. X. epiſt. 40.
z) c. l. 6. §. 9. 10.
a) c. l. 6. §. 6. cf. l. 11. §. 3. D. de munerib. & honorib.

§. 364. Romae vero & Conſtantinopoli numerus medicorum immunitate a muneribus publicis gaudentium incertus fuiſſe & medicorum in his civitatibus degentium pars longe maxima immunitate gaviſa eſſe videtur vſque ad Valentiniani I tempora, qui anno circiter CCCLXVIII legem dedit, qua jubebatur, ut Romae tot archiatri eſſent, quot vrbs ipſa regiones haberet, vtque his annonaria commoda a populi commodis miniſtrentur *b*). Quatuordecim hinc pro totidem vrbis regionibus archiatri Romae inſtituti ſunt, & ſi quis in archiatri defuncti locum adgregandus erat, lege cautum erat, ne ante archiatriae particeps fieret, quam primis, qui in ordine archiatrorum erant, ſeptem, vel pluribus judicantibus, fuiſſet approbatus *c*). Juſſitque Valentinianus, *vt neque patrocinio praepotentium, neque gratia judicantium, alius archiater ſubrogetur, ſed archiatrorum omnium fideli circumſpectoque delectu, qui et ipſorum conſortio, et archiatriae ipſius dignitate, et imperatoris judicio dignus haberetur c*). Archiatris id negotii datum erat, vt pauperibus medicinam honeſte facerent *e*): vt rei medicae & publicae valetudinis curam gererent: vt reliquis medicis imperarent & lites eorum componerent *f*). Praemia acci-

accipere licebat quidem archiatris, quae ſani obtulerant eis, non vero quae periclitantes pro ſalute ſua promiſerant *g*).

b) l. 8. Cod. Theodoſ. de medic. & profeſſorib.

c) l. 9. Cod. Theodoſ. de medic. & profeſſorib. cf. Symmachus Libr. X epiſtol. 40. qui haec habet: *Quia lege cautum eſt, vt primi artis ejusdem de novorum ſcientia judicarent.*

d) l. 8. C. Theodoſ. de medic. & profeſſorib.

e) c. l. 8. C. Th. de medic. & profeſſorib.

f) vid. Galen. de theriaca ad Piſon. cap. 1. pag. 930. t. XIII.

g) l. 8. C. Theod. de medic. & profeſſorib.

§. 365. Medicorum itaque poſt Antonini Pii tempora haec conditio erat, vt ſingulae civitates archiatros ſuos haberent, immunes a muneribus publicis: vtque in iisdem civitatibus alii etiam medici eſſent, archiatrorum, ſeu archiatriae collegio non adſcripti. Unde duplex medicorum nomen, ἀρχιατρων & ἰατρῶν, natum eſt. Archiatri Romani & Conſtantinopolitani ab ipſo archiatrorum collegio eligebantur, & quidem per majora vota (§. 364.): in reliquis vero vrbibus non a praeſide provinciae, ſed ab ordinibus & poſſeſſoribus cujusque civitatis, *vt certi de probitate morum et peritia artis eligerent ipſi, quibus ſe liberosque ſuos in aegritudine corporis committerent h*). Annonae quoque iis & ſalaria conſtituta ſunt *i*).

h) l. 1. D. de decret. ab ordin. faciend.

i) c. l. 1. D. de decret. ab ordin. faciend.

§. 366.

§. 366. Talis ſtatus, qualem hactenus enarravi, archiatrorum & medicorum fuit Romae atque in provinciis imperio Romanorum ſubditis, ad Conſtantini Magni vſque tempora. Cumque archiatrorum titulo medici probati inſignirentur, eodem quoque imperatorum medici gaviſi ſunt. Poſtquam vero, Conſtantini Magni praeſertim temporibus, multi alii honorum tituli in vſum venerant, his quoque archiatri ornari coeperunt: ipſa etiam archiatrorum ratio poſt Conſtantinum aliquo modo mutata eſt. Duplex nempe poſt eum archiatrorum genus erat, popularium, ſive archiatrorum, qui populo obſequebantur, & archiatrorum S. Palatii, qui militabant intra palatium, ſive eorum, qui principis & in aula ejus degentium valetudinem curabant. Palatinorum archiatrorum varii erant, praeter archiatriae munus, honorum tituli. Comitiva primi ordinis ex lege ſemper vni ex palatinis archiatris tribuenda erat. Comitivam ſecundi, tertii ordinis hi accipiebant, qui ſtatuto per legem tempore in principis palatio militaverant. Alii virorum perfectiſſimorum, illuſtrium, clariſſimorum, egregiorum, ſpectabilium titulis ornabantur, aut ob muneris rationem, temporisque, quod in munere tranſegiſſent, aut principis gratia. Poſtea hi tituli cuique tributi ſunt, qui pecuniam eis redimendis impendere volebat. Tamen nullius ex archiatrorum popularium collegio comitivae dignitate ornati memoria ad nos pervenit *k*).

k) vid

k) vid. Magni Aurelii Caſſiodori formula comitis archiatrorum commentario illuſtrata a Jo. Henr. Meibomio. Helmſt. 16 8. 4. &, qui Meibomium exſcripſit, Clericus Part. III. Libr. II. cap. I. p. 585. ſeq. Vid. quoque quae ego de hoc argumento diſſerui in expoſitione legum medicorum & medicinae cauſa a primo vſque ad decimum tertium ſaeculum poſt Chriſtum latarum, quae legitur in Cl. Pyl libro: *Repertorium für die öffentliche und gerichtliche Arzneywiſſenſchaft.* Vol. II. part. II. p. 167. ſeq.

§. 367. Hoc modo duo archiatrorum genera nata ſunt, popularium & palatinorum. Utrique eadem vacatio munerum publicorum, eadem dignitas fuit, quam tamen majorem palatini ſibi arrogabant, ob honorum titulos, quibus ornari poterant, etſi nihil plane negotii cum popularibus archiatris habebant *l*), collegiumque peculiare efficiebant, quod medicinae palatinae negotia curabat, archiatrorum popularium collegio rem medicinalem popularem curante. Palatinorum archiatrorum numerus incertus erat, mox major, mox minor, pro principis voluntate. Septem archiatri in palatio Alexandri Severi militabant, quorum vnus ſalarium ipſi conſtitutum, reliqui annonas accipiebant.

l) vid. Symmach. L. X. epiſt. 40. cf. quae ego de hac re diſſerui in citato Cl. Pyl libro p. 217. ſeq.

§. 368. Reliquam rem medicinalem principes minus curaſſe videntur, neque animum vllo modo applicuiſſe, vt aut ſtudiorum medicinae ratio eſſet

eſſet melior perfectiorve, aut vt tyrones in medicinae exercitio inſtitutis noſocomiis inſtituerentur. Noſocomia in pauperum commodum plura Juſtinianum quidem inſtituiſſe Procopius narrat, & Hieroſolymis, pro peregrinis, Eutychius, Alexandrinus patriarcha *m)*, eorum vero deſcriptio deſideratur. Non quidem in eorum vſum, qui medicinae ſtudebant, attamen in pauperum, invalidorum militum atque orphanorum commoda noſocomium condidit inſtruxitque Alexius I, orientis imperator, qui ab anno MLXXXI vſque ad annum MCXVIII imperio praefuit. Eique noſocomio vix aliud vllum eorum, quae poſtea condita ſunt, aequiparari poterit. Condidit in ipſa Conſtantinopolitana vrbe illud, forma quadrata, eo tantum fine, vt humanae infirmitatis ſolatia contineret. Mutili, morbis cujuscunque generis laborantes, caeci, claudi, ad id confluebant. Noſocomium, duo tabulata altum, tam late patebat, vt vix toto vnius diei ſpatio commode perluſtrari poſſet. Inſtructum erat templis, monachis, qui aegrotantium animos curarent. Cura aegrotantium & noſocomii aliis commiſſa erat, & nunquam defuit in eo degentibus, quod aut ad ipſorum, aut ad aegrotantium neceſſitatem pertinere videri potuiſſet. Habuere enim diſpenſatores & oeconomos ſuos, principesque viri in adminiſtrandis eorum & aegrotantium negotiis certabant. Magnae hinc emptiones factae: magna munera ad

operis perfectionem collocata: reditus ei ab imperatore assignati: vniversa nosocomii cura vni e regni primis administris commissa. Publicam rationem dispensatores quotannis referebant, vt perspici posset, quantum pecuniae ad aegrotantes sublevandos esset impensum *n*).

m) Eutychii Alexandrin. annal. ed. Pocock. Oxon. 1658. 4. t. II. p. 159. 160.

n) vid. Annae Comnenae Alexiad. Libr. XV. edit. Venet. 1719. fol. p. 381. seq.

MEDICINAE RECENTIORIS PERIODUS III.

Medicina Galeni inter Saracenos in oriente et occidente.

Caput XXVII.

Medicinae inter Saracenos initia et progressus.

§. 369. Quod Al Kadi Saed Ebn Ahmed, Andalosenus *o*) aliique Arabes jam monuerant, Arabes ante Islamismum, quem Mohammedes antiquae religionis loco primus stabilivit, & primis Islamismi temporibus, haud aliis disciplinis curam impendisse, quam linguae suae peritiae atque puritati (cujus, & quidem politissimae, antiquissima monumenta extant) legumque & institutorum, quae ad ipsam Arabum gentem pertinebant, scientiae, de medicina in eo tantum valet, vt, etsi ante Mohammedis tempora Graecorum medicina orienti non penitus quidem defuit, Arabes tamen

tamen ea caruerint, medicinam vero, qua hominibus in vniversum opus est, habuerint, aliquibus eorum notam, nec pluribus improbatam.

o) apud Gregorium Abul-Pharagium in hist. dynast. edit. Edw. Pocock. Oxon. 1653. 4. dynast. IX. p. 160.

§. 370. Qualis vero medicina Arabum fuerit ante Mohammedem & sub Chalifarum ex Ommaidarum familia imperio, incertum est: eam ad empiricam pertinuisse, nec ad certum systema fuisse redactam & magis in medicinarum ad morbos scientia constitisse, quam in ipsa morborum recta cognitione, inde patet, quod Mohammedes ipse morbis medicinam fecit empiricam, hordeum ad pectoris morbos vehementer commendando mannamque ad alvum ducendam loco tithymali, neque laesionum per incantationes curationem improbando *p*): Non tamen Mohammedis adeo temporibus medicina, quae a Graecis origines deduxerat, penitus incognita fuit, neque ab ipso Mohammede parvi habita. Is enim jussit, vt addicti Islamismo assectae sui, si morbo essent affecti, Harethem Ebn Calda, medicum Persam, ortu Thakifensem, accederent *q*), qui Graecorum medicinam, quae Jondisaburum transierat antiquissimo tempore, in hac vrbe didicerat.

p) Jo. Jac. Reiske miscell. observ. medic. ex Arabum monumentis desumtae. Lugd. Bat. 1746. 4.

q) Gregorius Abul- Pharagius in hist. dynast. ed. citat. dynast. VIII. p. 99.

§. 371. Etſi enim medici Graeci complures, a quibus medicinae cognitio ad Arabes devenire potuiſſet, in oriente vixerunt, in Meſopotamia Aetius (§. 332.), in Aegypto Paulus Aegineta (§. 339.), vt alios taceam, & diu ante horum virorum tempora ſchola medicorum Alexandriae floruit, prima tamen Graecorum medicinae initia in oriente non haec ſchola, neque hi viri fecerunt, ſed caſus ea obtulit. Aurelianus enim, qui Romanorum imperio ab anno CCLXX ad annum vſque CCLXXV praefuit, pace cum Sapore, Perſarum rege, inita, huic filiam ſuam nuptum dedit. Sapores in conjugis gratiam in Perſide vrbem Byzantio ſimilem condidit, eamque Jondiſabur (Niſabur) appellavit. Haec vrbs Choraſanae metropolis facta eſt. Miſiſſe Aurelianum, qui inſervirent filiae ſuae, medicos Graecos quosdam, eosque Hippocratis medicinam in oriente docuiſſe, Gregorius Abul- Pharagius *r*) expreſſe refert. Hinc hos Graecos medicos ſcholam Jondiſaburi inſtituiſſe aliosque, ab his inde temporibus, quibus in Perſidem venerant, medicinam docuiſſe, vero non abſimile eſt. Prima enim ſcholae medicorum, quae in hac vrbe extitit, monumenta, quae annalium ſcriptores tradiderunt, in ea tempora cadunt, quae Mohammedem proxime praeceſſere. Sub Heraclio nempe, qui orienti ab anno DCX vſque ad annum DCXLI praefuit, floruit Hareth Ebn Calda, medicus

dicus Arabum, qui, referente Gregorio Abul-Pharagio *s*), in Perſiam profectus artem medicam a Jondiſaburi incolis aliisque didicerat, tempore ignorantiae, ante, Mohammede auctore, exortum Iſlamiſmum. Is medicinam in Perſide exercuerat prius, quam in Arabiam perveniret. Multis ibi opibus congeſtis, & patriae viſendae cupidus Al Tagefum reverſus eſt in eaque vrbe ad Islamiſmi vſque tempora pertigit. Is idem fuit, quem ſuos juſſit Mohammedes adire, conſiliaque ab eo & medicinas petere (§. 370).

r) Gregorius Abul-Pharagius hiſt. dynaſt. dyn. VII. p. 82. „*Miſit Aurelianus, qui inſervirent filiae ſuae, medicos Graecos quosdam, atque illi medicinam Hippocraticam in oriente docuerunt.*“

s) Praeceptorum ejus medicinalium ſpecimen ſervavit Gregorius Abul-Pharagius, dyn. VIII. pag. 99. „Dicere ſolitus erat: *ſi quis durare cupit, mane prandeat, veſtes leves induat, et venere parcius vtatur.*“

§. 372. Poſt haec tempora, ſchola Jondiſaburienſis (vt hanc perſequar prius, quam ad reliquas medicinae inter Arabes origines deveniam) philoſophiae & medicinae laude maxima effloruit. Philoſophia, quae poſt Mohammedem & ſub Ommiadarum imperio inculta jacuerat apud Saracenos, neque prius apud eos nata eſt, quam poſtquam ſuper fundamenta a Graecis poſita ſapientiam exſtruerent *t*), chalifis imperantibus ex Abbaſidarum, ſeu Hashemidarum gente primum apud

eos coli coepit, praeſertim ſummo inter chalifas Abbaſidas viro, Abu Jafar Al Manſure auctore, qui ipſe philoſophiae, & inprimis aſtronomiae, ſumme gnarus erat *u*), & ſeptimo chalifa ex hac gente Abdalla Al Mamune, qui omni ſtudio libros philoſophorum Graecorum conquiſivit, eidemque vt ſibi ab orientis imperatoribus transmitterentur & in Arabicam linguam transferrentur curavit *x*). Noſocomium erat Jondiſaburi, cui, Abu Jafar Al Manſure, chalifa altero ex Abbaſidarum gente, Mohammedis locum tenente, Georgius Ebn Bachtishua, Jondiſaburi natus, Chriſtianus, praefuit. Al Manſuri, ſtomachi infirmitate laboranti, incaſſum tentato medicorum auxilio, qui in aula ejus degebant, narratum eſt, Georgium Ebn Bachtiſhua medicinae ſcientia eſſe celeberrimum. Accerſitus hinc a chalifa, comite itineris & medicationis adjutore adſcito Iſa Ebn Shahlatha, & noſocomii Jondiſaburienſis cura, quam hactenus geſſerat, filio tradita, Bagdadum contendit & chalifam a gravi & diuturno morbo liberavit, tribus aureorum millibus & tribus puellis Graecis, eximia forma (quas tamen recuſavit, etſi vetulam conjugem habebat, quae ne quidem e lecto ſurgere poſſet), in curationis praemium ei oblatis. Tandem cum in aula chalifae conſenuiſſet, & affectibus, qui in ſenectutem cadere conſueruntt, laboraret, Jondiſaburum reverſus eſt. Corpus chalifae poſt ejus deceſſum reditumque in patriam Iſa, quem ſecum duxerat, curavit *y*).

t) Verba

t) Verba ſunt, & quidem ſumme notabilia, Bar-Hebraei, ſive Gregorii Abul-Pharagii in chronico Syriaco edit. Cl. Kirſch. Lipſ. 1789. in 4to pag. 103. *Orti ſunt* (in provinciis Saracenorum imperio ſubditis) *philoſophi, mathematici et medici, qui acumine intellectus antiquos ſuperant, non alia fundamenta jaciendo, ſed ſuper ſtructura Graeca aedificia condendo ſapientia excellentia, quae dictione perquam eleganti magis adhuc commendantur, atque diſquiſitiones valde accuratas, ita vt nos, qui ab iis ſapientiam accepimus per interpretes, qui omnes Syri ſunt, cogamur eos de ſapientia interrogare.*

u) Quid egregius hic princeps ad incrementa ſcientiarum phyſicarum & aſtronomicarum inter Arabes amplificanda praeſtiterit, diſerte narrat Gregor. Abul-Pharagius hiſt. dynaſt. dynaſt. IX. p. 161. ſeq. cf. Abi'l Fedae annal. Moslemic. edit. Jo. Jac. Reiſke, Lipſ. 1754. in 4to. p. 144. ſeq. Georg. Elmacin hiſtor. Saracenic. ed. Th. Erpenii. Lugd. Bat. 1625. fol. L. II. cap. 3. p. 100. ſeq.

x) Gregor. Abul-Pharag. dynaſt. IX. p. 160.

y) vid. Bar-Hebraei ſ. G. Abul-Pharag. chron. Syriac. edit. cit. p. 132. Placita medica quaedam, quae num ad hunc Georgium Bachtiſhuam pertineant, dubium eſt, collegit ex Rhaze Hallerus, in biblioth. med. pract. Tom. I. p. 338.

§. 373. Gens Bachtishuarum poſt hunc Georgium ſummam medicae peritiae laudem conſequuta eſt eaque per aliquot ſaecula floruit *z*). Chalifa ex Abbaſidarum ſtirpe, Harum Rashid cum capitis dolore laboraret, neque medici quomodo curandus eſſet, intelligerent, ex poſteris Georgii (§. 372.) Georgium Bachtishuam Niſaburo ad ſe

duci juſſit. Linguae Arabicae & Perſicae peritia, qua vtraque chalifam ſalutabat, principi placuit & medicinae ſcientia mox inclaruit, ita vt a chalifa opibus cumularetur & ſplendidis veſtibus donaretur. Philoſophiae ſcientiſſimus fuit. Cum Bagdadum veniſſet, chalifa omnes reliquos medicos advocavit, vt cum eo diſputarent: ſed medici id non auſi ſunt, philoſophiam ejus, quam a proavis didicerat, metuentes *a*). Urinarum tantam cognitionem habuit, vt animalis vrinam ſibi oblatam, non puellae, ſed jumenti eſſe praedicaret *b*). Filium habuit, Georgium, qui concubinae Haruni Rashid curatione claruit. Haec cum inter pandiculandum manum ſuſtuliſſet, eam, rigore affectam, retrahere non potuit. Alii medici cum linimentis & vnguentis nihil proficerent, Gabriel, venia a chalifa prius petita, eam curavit in publicam productam, inclinato capite fimbriam veſtimenti, quo amicta erat, prehendens, quaſi illam denudaturus. Commota pudoris vehementia puella manu deorſum flexa fimbriam repreſſit ſimulatamque medici audaciam depulit. Eoque modo, rigore ſoluto, in ſanitatem reſtituta eſt. Cauſam curationis ſciſcitanti chalifae Georgius reſpondit, humorem tenuem in membra iſtius puellae inter concubitum eſſe effuſum, qui cum ſubito a motu concubitus quieviſſet puellae in interiori parte nervorum fuiſſet congelatus, vt non, niſi a motu conſimili, ſolvi potuiſſet: vſu

hinc ſe eſſe commento, quo dilatato calore ſolutus fuiſſet humor ſuperfluus ipſaque puella in ſanitatem reſtituta. Quae theoretica morbi explicatio ſatis cum placitis medicorum Graecorum convenit. In ſanationis tam proſperae praemium 50000 nummos Georgius a chalifa accepit, praeter annuum ſtipendium, quod 90000 denariorum fuit *c*).

z) vid. Abi'l Feda in annal. moslemic. ed. cit. p. 262. cf. de hac familia medicorum quae ob ſervitium, quo Chriſto ſe addixerat, cognomina adſumſit Bachtishua, Jeſubocht, Bochtjeſu, Joſeph. Simonii Aſſemani bibliothec. oriental. Clementino-Vatican. Rom. 1721. f. Tom. II. p. 315. Tom. III. part. I. p. 195. Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 338. ſeq. De ſchola Jondiſaburienſi & in regione Elamitarum, ex qua etiam non raro medici ex Bachtishuarum gente (vid. Bar-Hebraei chron. Syriac. p. 141.) Bagdadum evocati ſunt, vide eundem Aſſemanum in diſſ. de Syris Neſtorianis cap. XV. §. 2. n. 7. 8. 10. in bibl. oriental. Clementino-Vatican. Tom. III. Part. II. p. 931. 932.

a) *Accedens chaliſam Bachti ieſchua ſalutavit Perſice et Arabice. Rex autem riſit caeterosque medicos advocavit, vt cum eo diſputarent. Dixit Iſa Abu Koreiſch, medicus: O rex miſerere noſtrum. Noſtrum enim nemo eſt, qui cum eo loqui valeat. Quod enim ad ſermonem attinet, ille pariter, ac pater et familia ejus, philoſophi ſunt.* Bar-Hebraei Chronicon Syriac. p. 141.

b) vid. Bar-Hebraei Chron. Syriac. p. 141.

c) Bar-Hebraei Chron. Syriac. I. c. Greg. Abul-Pharag. dynaſt. IX. p. 152.

§. 374. Haec Bachtishuarum familia, nec non alii medici chriſtiani, quos chalifae ad morbos, quibus affecti erant, curandos, ex Perſia, Syria, Aegypto advocabant, (Syrorum inprimis magna eruditionis fama erat, ante ſcientias, Al Manſure auctore, per ipſos Arabes excultas) non raro contulerunt ad res chriſtianorum in terris, quos Arabes imperio ſuo ſubjecerant, in meliorem ſtatum redigendas, ad odium Arabum in eos minuendum, effeceruntque, vt in tanto, quod his temporibus fuit, haereſium ſtudio, illa haereſis, cui medici addicti erant chriſtiani, quibus chalifae & regionum atque imperiorum praefecti ex Saracenorum gente ad valetudinem recuperandam fuerant vſi, in majorem exiſtimationem perveniret vimque calamitatum minorem experiretur. Sic cum chalifae Haruno Al Rashid Abdollah Ebnol Mohdi, Aegypti praefectus, puellam ex Aegypto forma eximia miſiſſet a chalifa vehementer amatam, eaque in gravem morbum incideret, cui curando medici Arabes non ſufficiebant, ex Aegypto medicum Bagdadum mittere Abdollahum chalifa juſſit. Miſit is Balatianum, Alexandriae patriarcham, Melchitarum haereſi addictum, rei medicae, quam ſacerdotes his temporibus diligenter colebant, peritum, qui intellecto morbo puellae tortas Aegyptiacas duras & muriam ſecum Bagdadum attulit puellamque, ob patrii victus defectum morbo laborantem, in ſanitatem reſtituit.

Laetus

Laetus ea re Al Rashid non ſolum haec Aegyptiacae plebis alimenta penario ſuo continuo ineſſe juſſit, ſed etiam literis mandatoriis datis omnes eccleſias, quas Jacobitae Melchitis eripuerant, his reddendas curavit *d*). Georgio Bachtishuae, puellas, quas dono ipſi dederat chalifa Al Manſur, detrectanti ob Chriſtianam religionem, quam profitebatur, chalifa non ſolum non ſuccenſuit, ſed potius ipſi, laudata atque probata ejus temperantia, feminas & filias ſuas, nemine prohibente, adeundi libertatem dedit *e*). Ubi vero fortuna medicis Chriſtianis minus arridebat in chalifarum aulis, minus fauſtae quoque res Chriſtianorum fuere, vt eas non raro laetas fuiſſe exiſtimes, ſi chalifis, iisque, qui locum eorum in provinciis tenebant, Chriſtiani, quibus ad officia valetudinis aliaque vtebantur, placebant, adverſas vero, ſi diſplicebant. Sic Jaafar Almotawaccel, ex Abbaſidarum gente, qui chalifatum ab anno poſt Chriſtum DCCCXLVII vſque ad annum DCCCLXI tenuit, iratus Bachtishuae, medico ſuo, in omnes provincias ſcripſit, vt compellerentur Chriſtiani Zonaria induere, & veſtibus ſuis pannorum ſegmenta aſſuere, a parte anteriori alterum, alterum a poſteriori, atque equis vehi prohiberentur, & in ſellis ſuis haberent funes, ac ſtapedibus ligneis vterentur aediumque ipſorum portis appingerentur diabolorum, porcorum, ſimiarum, imagines, quos magni Chriſtianis

ſtianis detrimenti, doloris & anxietatis cauſa fuit *f*).

d) vid. Eutychii Patriarch. Alexandrin. annal. edit. Pocock. tom. II. pag. 409. 411. *Unde Rashid diploma ei dedit, vt templa omnium orthodoxorum, quae Jacobitae occupaverant, ei reſtituerentur.* Verba ſunt Elmacini, hiſt. Saracenic. L. II. cap. 6. ed. Erpen. p. 123.

e) Bar- Hebraei chron. dynaſt. X. p. 132.

f) verba ſunt Eutychii annal. t. II. p. 448.

§. 375. Alexandrina medicorum ſchola (§. 326), quae ad ea vſque tempora laude maxima excelluit, quibus Saraceni vrbe ipſa potiti ſunt, quod factum eſt Mohammedis locum tenente Omaro filio & Chatthabi, qui anno XIII hegirae & anno Chriſti DCXXXIV moslemis imperare coepit *g*), neque ſub Saracenorum imperio absque medicinae docendae inſtitutis fuit, poſt Jondiſaburienſem (§. 371.) ad principes referenda eſt, quae Graecorum medicinam ad Saracenos transmiſerunt. Aaron, presbyter Alexandrinus, qui Mohammedis aevo vixit, ſyntagma artis medicae *h*), ſive, vt alii titulum exhibuere *i*), pandectas medicinales Syriaco ſermone conſcripſit, XXX libris comprehenſas, quibus deinde duos alios libros addidit Sergius, Rhaſinenſis archiater, librorum medicinalium Graecorum in Syriacam linguam verſione celeberrimus. Hi libri, eodem fere modo compoſiti, quo dogmatici libros ſuos poſt Galenum componere ſolebant (§. 318—327), ex-

excerpta ex Graecis medicis, praeſertim ex Galeno, cujus medicinam Alexandriae quidam medici docebant, continuerunt. Tranſtulit hos pandectarum Aaronis libros in Arabicum ſermonem Maſerjawaihus, medicus Baſorenſis, Syrus, religione Judaeus, Mohammedis locum tenente Marvano, qui anno hegirae LXIV (ann. Chriſti DCLXXXIV.) imperio potitus eſt *k*). Cum eoque Aaronis libro Arabico facto medicinae Graecorum ſcientia primum per ſcriptos libros ad Arabes pervenit *l*).

g) Abi'l Feda annal. moslemic. p. 66. Haec Alexandriae per Saracenos expugnatio maximo ſcientiis omnibus detrimento fuit: librorum enim, quorum ampliſſimam collectionem in eadem vrbe jam Julii Caeſaris milites flammae tradiderant, alteram collectionem, 50,000, vt fertur, voluminum, Saraceni combuſſerunt. Vivebat Alexandriae his temporibus Joannes Grammaticus, Jacobita, celeberrimus inter philoſophos hujus temporis, Amru, quo imperatore Saraceni Alexandriam ceperant, ob philoſophiae ſcientiam, quam Arabes hactenus ignoraverant, notus atque dilectus. Hic ab Amru petiit, vt libros philoſophicos bibliothecarum Alexandrinarum, Saracenis, linguae Graecae non intelligentibus, nulli vſui futuros, a flammae ſupplicio liberaret ſibique dono daret. At Amru, re ad chalifam delata, hoc ab Omaro reſponſum accepit, vt libros omnes e medio tolli juberet: *ſi enim in illis contineretur, quod cum libro Dei conveniret, ſufficere, quae in hoc contineantur: ſi vero eorum argumenta libro Dei* (Corano) *contraria exiſterent, neutiquam iis opus eſſe.* Juſſit itaque Amru diſtribui hos

libros

libros per balnea Alexandriae atque illis calefaciendis comburi. Hoc modo ſpatio ſemeſtri omnes illi libri deleti ſunt. vid. Greg. Abul-Pharag. dyn. IX. p. 114. Uberius enarrata haec hiſtoria legitur in libro: *Allgemeine Weltgeſchichte* tom. XIX. L. I. cap. 2. Sect. 2. §. 334. p. 455. vbi vid. auctores, qui citantur.

h) Gregor. Abul-Pharag. dyn. VIII. p. 99.

i) Herbelot biblioth. orientale. p. 120. edit. quae prodiit Trajecti ad Moſam, 1776. fol.

k) Gregor. Abul-Pharag. dyn. IX. p. 127.

l) Excerpta ex his pandectis exhibuere Rhaſes & Haly Abbas in prolegom. ad L. I. cf. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 335.

§. 376. Ad eos, qui Graecorum medicinam ad Arabes tranſtulerunt, chalifarum ex Ommiadarum familia temporibus, pertinent etiam Theodocus & Theodunus, medici Graeci, Alexandrini forſan *m*), quos obſequio ſuo addictos habebat Hejajus, chalifae Abd ol Malek (ann. hegirae LXV poſt Chriſtum DCLXXXIV.) ſatellitum praefectus *n*). Theodoco diſcipuli fuere illuſtres, qui poſt eum claruerunt, nonnulli etiam vſque ad chalifarum ex Abbaſidarum gente imperium ſuperſtites, vti Phorat, filius Shohnathar, qui ſub Manſure floruit. Theodunus magnum ſyntagma medicinae in filii vſum, ex Graecis ſine dubio ſcriptoribus, compoſuit *o*).

m) vt autumat quidem Freind hiſt. medic. p. 225.

n) Gregor. Abul-Pharag. dyn. IX. p. 127.

o) Gregor. Abul-Pharag. l. c. p. 128.

§. 377.

§. 377. Sub chalifarum ex Abbaſidarum gente imperio, quod anno poſt Chriſtum DCCXX coepit, Graecorum ſcientiae inter Arabes laetiſſime efflorvuerunt. Medicinam ſingulari opera pertractavit Saher, filius Abu Zahar, Rhazi dictus, qui Heſchamo, altero ex hac ſtirpe chalifa, imperante, circa annum hegirae CXXV vixit. Al Manſur philoſophiae, aſtrologiae ſtudia coluit aſtrologumque habuit Nubacht, Perſam, ejusque filium *p*). Bagdado vrbe condita medicinali ſcientiae ibi providit *q*). Al Mohdi chalifatum tenente Theophilus Maronita, aſtrologus chalifae, Homeri iliados libros duos ex Graeco ſermone in Syriacum tranſtulit. Primum magiſtratum medicorum Harun al Rashid inſtituit, Georgio Bachtishua (§. 373.) medicorum praefecto Bagdadi conſtituto *r*). Eodem chalifa imperante floruit Johannes filius Maſawaihi (Meſuae), chriſtianus, Syrus, qui vſque ad chalifatus Al Motawacceli tempora pertigit. Huic Harun al Rashid, medicorum Arabum ſcientiam anguſtis limitibus eſſe circumſcriptam intelligens *s*), interpretandos libros medicinales antiquos commiſit, eumque ſummae auctoritatis virum Bagdadi fuiſſe, libros elegantes compoſuiſſe, ſcholam diſceptandi gratia inſtituiſſe, in qua de omni ſcientiarum genere fuerit diſputatum, ſcientias etiam docuiſſe & diſcipulos plurimos habuiſſe Gregorius Abul- Pharagius *t*) refert. Quae ad medicinam pertinentia

ejus

ejus placita narrat Abul- Pharagius, medicinam Graecorum redolent. Diacyminum, ambroſiam, Graecas medicamentorum confectiones, ad ſtomachi infirmitatem laudabat. Medicamentis caeterum valde compoſitis vſus eſt, quibus Arabibus etiam minus placuit *u*). Scripſit medicinales libros XXXIV, & de febribus libros, qui omnes interierunt *x*).

p) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 145.

q) Inſtituiſſe eum Bagdadi noſocomia eisque medicos praefeciſſe autumat Freindius hiſt. med. p. 226.

r) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 153.

s) Dixit Al Rashid Yahyae, filio Chaled, filio Barmac: *medici iſti* (Arabes) *nihil intelligunt: opus eſt, vt mihi medicum peritum quaeras.* Abul- Pharag. dyn. IX. p. 152.

t) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 154. cf. de hoc illuſtri apud Arabes medico Jo. Leonis Africani de viris quibusdam illuſtribus apud Arabes libellus, cap. 1. pag. 259. in Fabricii biblioth. Graec. Vol. XIII.

u) Nec odio, vt fieri ſolet, caruit medicorum. Cum Salmawaihum, medicum ſuum, aegrotantem Al Mo'taſemus chalifa inviſeret ploransque diceret, ſe nullum nunc habiturum, cui valetudinis ſuae curam committeret, reſpondit Salmawaihus: *erit tibi ardelio iſte, Johannes Ebn Meſua; cum autem tibi aliquid praeſcripſerit, ſume ex eo, quod minus mixtum eſt.* At chalifa, contraria medicina a Johanne, & quidem infeliciter, curatus, non longo poſt Salmawaihi obitum tempore fato functus eſt. vid. Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 166. 167.

x) Excerpta quaedam ex iis eorumque titulos vid. ex parte apud Hallerum biblioth. med. pract. Tom. I. p. 340.

§. 378.

§. 373. Animos ad philoſophiae Graecorum ſtudia incitavit omni data opera Abdalla Al Mamun, Harunis al Rashid filius, ſeptimus ex Abbaſidarum genere chalifa, qui anno hegirae CXCVII & poſt Chriſtum DCCCXII rebus Saracenorum praeeſſe coepit *y*). Is perfecit, quae orſus fuerat avus ipſius Al Manſur, vt eo auctore perfectam eſſe philoſophiam & medicinam Arabum demum credas. Petiit a Graecorum imperatoribus, vt libros philoſophicos Graecorum ſibi transmitterent. Quibus acceptis conquiſitisque interpretibus vndique, eos vertendos in Syriacam & Arabicam linguam curavit: homines deinde, exemplo ſuo, ad eos legendos incitavit, diſceptationes de rebus ad doctrinae varia genera, inprimis ad philoſophiam pertinentibus cum doctis ſuae gentis viris inſtituit: inſtrumenta ad aſtrorum obſervationem commoda confici juſſit, loco ad eorundem aſtrorum obſervationem aptato duplici, altero in provincia Bagdadenſi, altero in monte Caſio prope Damaſcum *z*). E medicis ipſius erat Johannes filius Batrik, fidus in libris medicis vertendis & in ſenſu reddendo felix, philoſophiae quoque gnarus. Idem habuit medicum ocularium *a*), unde patet Arabibus, vt Graecis, poſt empiricorum ſectam natam, ſingularum corporum partium medicos fuiſſe.

y) Abi'l Feda annal. moslem. p. 172. Pocock in ſynopſi chronol. Eutychian. edit. annal. Eutychii praemiſſa.

z) Aſtro-

z) Aſtrologos, qui in aula ejus florebant, aſtronomiam enim aſtrologiae cauſa Arabes colebant, enarrat Gregor. Abul-Pharagius, dyn. IX. p. 161. 162.

a) Gregor. Abul-Pharag. l. c. p. 164.

§. 379. Medicina, philoſophia & naturalis ſcientia Graecorum ad Arabes translata eſt in primis ſtudio Honaini, filii Iſaac, pharmacopolae Hirenſis. Is ex Arabum Ebaditarum gente chriſtiana ortus eſt, quae in vnum congregata ſeſe in caſtella quaedam juxta Hiram, ab ipſa conſtructa, ſeduxerat. Johannem, filium Meſuae (§. 377.), primum audivit illiusque ſervitio ſe addixit, deinde cum praeceptori quaeſtionibus ac percontationibus moleſtus eſſet, ab illo domo pulſus in Graecorum regiones abiit. Poſtquam Graecam linguam didicerat, conquiſitis philoſophorum Graecorum libris Bagdadum reverſus eſt: inde Baſoram profectus, Arabicae linguae purioris diſcendae cauſa, poſtea Bagdadum rediit. Gabriele Bachtishua, Georgii filio *b*), amico vſus eſt, eique, quae de rebus ad anatomen ſpectantibus apud Graecos audiverat, expoſuit *c*), ab eoque tanti aeſtimatus eſt, vt Rabbani, ſeu magiſtri titulo ab eo juvenis adhuc ſalutaretur. Profeſſusque eſt Gabriel Bachtishua, Sergium ad pudorem adactum iri ab Honaino, ſi vita longior ipſi contigiſſet *d*). Sagax vir & futurorum providus fuit, qui temporibus ſerviebat & hoc modo in Al Motewacceli exiſtimationem pervenit, ita vt ab eo am-

ampliſſimis muneribus ornaretur. Poſtea, etſi ipſe chriſtianus erat, cum imprudens Chriſti & apoſtolorum imagines laeſiſſet, excommunicatus a chriſtianis & Zona ipſi diſſecta eſt: quo facto eadem nocte ſubito, nec ſine veneni ſumpti ſuſpicione, interiit *d*). Filii ipſi fuere David & Iſaac, quo in primis adjutore in verſionibus Graecorum medicorum in Syriacam & Arabicam linguam vſus eſt. Diſcipulos quoque alios habuit, quibus ex ſorore nepotem, Hobaiſch, filium Al Aſam, praefecit, doctum virum & Graecae linguae gnariſſimum, qui quoque libros e Graeco in Syriacum & Arabicum ſermonem tranſtulit. Libri Hobaiſch opera in has linguas converſi jam Abul - Pharagii temporibus Honaino adſcripti ſunt: eoque errore gloria Honaini vehementer aucta eſt *e*).

b) Vita Gabrielis Bachtishuae Abi Osbaiae vitis medicorum in latinam linguam translata legitur annexa Jo. Freind. hiſtoriae medic. pag. 340.

c) Gregor. Abul- Pharag. p. 172.

d) Is Sergius, Rheſainenſis archiater, Jacobita religione, vir fuit eloquentiſſimus, in Graeca & Syriaca lingua verſatiſſimus, ac doctiſſimus medicus corporum, voluptate eunuchus, moribus corruptis ac turpibus, luxurioſus, avarus. Graecorum, medicorum etiam, opera permulta in Syriacam linguam tranſtulit. vid. de eo Aſſemanni biblioth oriental. Clementin. Vatican. Tom. II. pag. 212. not. & Tom. eod. pag. 323.

e) Bar Hebraei chronic. p. 173. ſeq. Abul- Pharagius dyn. IX. p. 174. ſeq.

§. 380. Etſi non negandum eſt Honainum libros veterum Graecorum plurimos non in Arabicam, ſed in Syriacam linguam tranſtuliſſe, & diſerte memorat Bar Hebraeus, eum Graecos primum in Syriacam, deinde in Arabicam linguam ex hac tranſtuliſſe *f*); tamen negari nequit, eum ad primos inter Arabes eſſe referendum, qui effecerunt, vt plenior cognitio medicinae Hippocratis & Galeni ad Saracenos aliasque orientis gentes perveniret. Ante eum qui vixerunt Syri Arabesque, qui Graecos medicos in orientis linguas tranſtuliſſe dicuntur, Hippocratem & Galenum parum tetigerunt, & ſi hunc quoque, neque tot libros, quot Honain, neque ad ſyſtema ejus intelligendum plane neceſſarios, tranſtulerunt, neque in ipſo verſionis opere tam circumſpecti ac diligentes fuerunt, vt lucubrationes eorum nulla caſtigatione indiguerint. Is vero fama hac cum floreret, vt ſcientiarum fons ac virtutum fodina appellaretur, non ſolum antiquas in orientis linguas Graecorum auctorum verſiones caſtigavit, Muſae filii Caled & Jahiae filii Adi, ſed etiam Hippocratis aphoriſmorum & morborum popularium libros, & Galeni libros complures, ad ejus ſyſtema intelligendum apprime vtiles, nec non Ariſtotelis opera *g*) ſomnio chalifae monitus, & aliorum philoſophorum, vti & Pauli Aeginetae de re medica libros *h*) in easdem linguas tranſtulit. Viginti etiam quinque libros medicinales ſcripſit.

Intro-

Introductio, quae adhuc ſub nomine Johannitii extat, num ad eum auctorem referenda ſit, incertum eſt *i*). Ex hujus viri verſionibus librorum Hippocratis & Galeni iidem libri Hippocratis & Galeni in Hebraicam linguam translati ſunt. Iisdem vſi ſunt Judaei & Arabiſtae ad primas aphoriſmorum Hippocratis & ejusdem auctoris librorum de morbis popularibus, nec non aliquot Galeni librorum verſiones in latinam linguam componendas *k*). Ut adeo vſque ad extremum ſaeculi XV tempus medici in Europa Graecorum medicinam ex Arabum, in primis Honaini, verſionibus latine factis tantum didicerint.

f) Bar Hebraei Chron. p. 173. Epiſtolarum, quae Hippocrati adſcribuntur, verſionem in Arabicam linguam a Honaino elaboratam citat Eutychius Alexandrin. annal. T. I. p. 264.

g) Freind hiſt. medic. p. 228. haec ex Abi Osbaia narrat.

h) Abul- Pharag. p. 115.

i) Librorum medicorum, quos tranſtulit in Syriacam & Arabicam linguam, catalogum exhibent Herbelot in biblioth. oriental. pag. 423. & Hallerus in bibl. med. pract. Tom. I. p. 345.

k) vid. Fabricii biblioth. Graec. edit. Harles L. II. cap. XXIII. §. 21. Vol. II. p. 542.

§. 381. Interpretum librorum Graecorum philoſophici, mathematici, medici, hiſtorici argumenti in Syriacum & Arabicum idioma numerus poſt tam praeclari exempli virum valde multiplicatus eſt. In Abi Osbaiae vitis medicorum caput

extat, in quo de traductoribus ſolum agitur: horum nomina quadraginta & ſex commemorantur, qui medicos Graecos Arabice converterint, ſed Honainus caeteris anteponitur, cujus traductiones etiam maximo ſemper poſt id tempus in honore manſerunt *l*). Longe maximam quoque operum Hippocratis & Galeni partem in Syriacam aut Arabicam linguam eſſe converſam ante Rhaſis tempora inde apparet, quod is vir longe pluribus horum medicorum libris, quam quos translatos eſſe conſtat in orientales linguas, vſus eſt. Dioſcoridis etiam libri in Arabicum ſermonem converſi, vt alios taceam, extabant. Omnes hos interpretes hic memorare nimis prolixum foret: praecipuos quosdam memoraſſe ſufficiet. Koſta, filius Lucae, chalifae Al Motawaccel temporibus multos libros in ipſis Graecorum terris congeſſit cum iisque in Erakum profectus eſt, ad eos interpretandos *m*). Exeunte ſaeculo nono ſub Al Motaded chalifa floruit Abulhaſen Tabet ex ethnicis Haranenſibus, in Graeca, Syriaca & Arabica lingua egregie verſatus, qui libros circiter CL ad dialecticam, mathematicam, aſtrologiam, medicinam pertinentes compoſuit, qui Bar Hebraei temporibus adhuc in magna exiſtimatione erant *n*). Hi viri omnes ante Rhaſis tempora vixerunt. Referendi porro ad hos ſunt, qui in oriente Graecorum medicinam propalarunt, Nadhifo'lnafs, Graecus medicus *o*), & Abu Ali Iſa filius Zaraae *p*).

l) Freind

l) Freind hiſt. medic. p. 228.
m) Abul- Pharag. dyn. IX. p. 179.
n) Bar Hebraei chronic. p. 180.
o) Abul- Pharag. p. 215.
p) Abul- Pharag. p. 223.

§. 382. Nunc qua ratione hi viri in interpretandis Graecorum medicorum libris vſi ſint perſequar. Longe maxima pars interpretum libros in Syriacum ſermonem tranſtulit: Arabes enim etſi linguae patriae ſuae erant peritiſſimi, tamen raro aliis addiſcendis operam dabant, neque ante Al Mamunis chalifae tempora multi Arabes extiterunt, qui praeter poeticen alias diſciplinas colerent. Omnia hinc, quae ad eruditionem ſpectant, apud Syros erant, quibus chalifae ad rem publicam adminiſtrandam potiſſimum vtebantur, quique adeo quae ad expenſarum rationes pertinebant, aut Syriace, aut Graece conſignabant prius, quam Al Walid chalifa ſcribas juberet, vt Arabice hos libros exararent *q*). Syriacae veterum librorum verſiones omnes aut interierunt, aut in bibliothecis latent. Arabicae, maxima ex parte ex Syriacis factae, jam hanc ob cauſam ad optimas referendae non ſunt, & ſi latinas verſiones aphoriſmorum Hippocratis, ex Arabica lingua a Conſtantino Africano aliisque factas *r*), cum contextu Graeco confero, licet multa indoctis interpretibus latinis tribuere oporteat, multa tamen quoque vitia reſtant, ad Arabes interpretes referenda. Si vero etiam hae

verſiones ad textum medicorum veterum in integritatem reſtituendum nullius vſus ſunt *s*), per eas tamen hoc effectum eſt, vt Graecorum medicina, quae in occidente, oppreſſo tot calamitatibus, extare vix amplius potuiſſet, ad florentiſſimam omnium in oriente gentem tranſiret, a qua illam, parum mutatam auctamque ex parte, accepimus.

q) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 129.

r) vid. Fabricii biblioth. Graec. ed. Harles L. II. cap. XXIII. §. 21. Vol. II. p. 542. 543.

s) vid. epiſtolam Renaudoti ad Dacierium de exiguo pretio, quod verſionibus medicorum veterum in Syriacam & Arabicam linguam tribuendum eſt, quae addita eſt tomo II. operum Hippocratis in Gallicam linguam a Dacierio translatorum Pariſ. 1697. 8.

§. 383. Etſi quidem Saraceni conſuetudinem cum aliis gentibus nullam alebant, tamen vrbes in provinciis, quas bello ceperant, non everterunt, neque incolis earum vllam vim intulerunt, dummodo aut Mohammedis religionem amplecterentur, aut tributum annuum ſolverent. Qui Turcarum etiam mos fuit & adhuc eſt. Cum vero jam ſub Ommiadarum imperio res Saracenorum ita cederent, vt Aegyptum Omaro *t*), Cyprum, Ancyram, alias Graecorum inſulas, Hiſpaniae adeo partem Othmano chalifa imperante *u*) occuparent & bellis cum orientis imperatoribus geſtis provincias, vrbes eis eriperent, factum facile eſt, vt a gentibus, quas ſubjugaverant, ſcientias etiam,

etiam, quas vtiles ſibi fore putabant, acciperent; utque medicis harum gentium & ad corporum curationem, & ad inſtitutionem aliorum in medicinali ſcientia vterentur. Graecorum non veterum tantum, ſed etiam eam, quae ſeptimo ſaeculo & poſt hoc tempus erat, medicinam magni fecerunt, eosque in medicamentorum & venenorum ſcientia ſummopere eſſe verſatos arbitrati ſunt, ita vt Al Motawaccel chalifa Honainum, qui in Graecorum terris medicinae ſtuduerat, ſuſpectum ob venenorum ſcientiam & Graecorum fraudes haberet neque prius fiduciam in eo collocaret, quam, exploratione praegreſſa, appareret, eum aut nullam habere venenorum ſcientiam, aut, ſi haberet, nihil ſibi de ea metuendum eſſe *x*).

t) Abi'l Feda annal. moslemic. p. 66. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 114. Eutych. annal. Tom. II. p. 340. Georg. Elmacin hiſt. Saracen. L. I. c. 3. p. 23.

u) Abi'l Feda annal. moslemic. p. 78. Georg. Elmacin. hiſt. Saracen. L. I. c. 7. p. 47.

x) Abul- Pharag. dyn. IX. p. 172. 173.

Caput XXVIII.

Medicina Saracenorum.

§. 384. Philoſophiae, mathematicarum ſcientiarum omnium & medicinae Arabes cum cupidiſſimi fuere & quidquid potuere moliti ſunt ad has ſcientias earumque fontes ex Graecia ad ſe transferendas, tum neque ipſis ingenium defuit, quod orientis gentibus omnibus vividum eſt &

perſpicax, neque adeo in primis in matheſeos diſciplinis hic ſucceſſus, vt incepta a Graecis & perſequerentur, & nova permulta iis adderent *y*). In medicina vero aliter quidem, quam Graeci, multa dixerunt, omnia fere in morbis ad ea, quae ingenio exquiruntur, referentes, attamen praecipue in hoc elaborarunt, vt Graecos vel in Arabicum ſermonem converterent, vel imiterentur, vel, quae diſperſa atque diſtracta in Graecorum voluminibus legebantur, in vnum colligerent. Hinc ſi molem voluminum medicinalium, ſi copiam ſpectamus, (longe enim minima pars medicinalium librorum ab Arabibus ſcriptorum latine verſa & typis mandata extat: maxima, Arabice ſcripta, aut interiit temporum injuria, aut in bibliothecis latet) eos medicinae fuiſſe ſtudioſiſſimos quidem apparet: ſi vero medicinam, qualem nobis reliquerunt, cum ea comparamus, quam a Graecis acceperunt, juſta nos ſubit admiratio, gentem, quae feliciſſimo vſa eſt in omnibus rebus ſucceſſu, quae in hiſtoria, poetica, mathematica ingenii monumenta reliquit nunquam interitura, cui occaſio medicinam gentium politiſſimarum perdiſcendi neque defuit, neque morbos in oriente, & ipſo quoque occidente obſervandi, in medicinae ſtudio ita eſſe verſatam, vt praeter novos morbos quosdam, quorum obſervationem aut caſus intulit, aut dira neceſſitas exegit, nihil in omnibus ſcriptoribus ex Arabum gente medicinalibus

nalibus memoratu magnopere dignum reperiamus, quod non a Graecis acceperint *z*). Suppar apud eos philoſophiae fuit ratio. Laudatiſſimus etiam Averrhoes, qui tot tantosque in Ariſtotelem libros compoſuit, nihil quidquam hujus philoſophi doctrinae adjecit, ſed, vt interpres, alium in eodem opere locum ope alius explicavit, imo omnia ejus placita adeo pertinaciter ſequutus eſt, vt aeternum mundum eſſe, cor tres ventriculos habere, rel. crederet *a*).

y) vid. Cl^mi viri, Simonis Aſſemani diſſ. de Arabum aſtronomia, globo caeleſti Cufico- Arabico Veliterni muſei Borgiani illuſtrato, Patav. 1790. in 4to. praemiſſa, inprimis §. 4. p. 28. ſeq. qua inventa ab Arabibus in mathematicis & aſtronomicis pertractantur.

z) Freind hiſt. med. p. 230.

a) Freind hiſt. med. p. 231.

§. 385. In anatomes ſcientia Galenum penitus ſequuti ſunt, & ex parte Ariſtotelem: nihil hinc in ea protulerunt, quae non a Graecis dicta fuiſſent prius. Neque adeo ipſi hanc diſciplinam augere poterant, quoniam Mohammedanis medicis ob Mohammedis legem incidere cadavera, animalium etiam, non licet *b*): neque Chriſtiani & Judaei in hac ſcientia multum praeſtare poterant, inter Mohammedanos quippe degentes, in quorum odium acerbius incidiſſent, ſi mortuorum corporum inciſione ſeſe contaminaſſent. Bagdadi, in qua vrbe collegium medicorum & noſocomium erat, rem anatomicam non fuiſſe cultam etiam

inde

inde liquet, quod Gabriel Bachtishua Honainum, juvenem, ex Graecorum terris reducem, anatomica quaedam exponentem, diligenter audivit *c*). Rhasis quoque opera anatomen non aliam, nisi Galeni, exhibent. Eandem quoque Haly Abbas, Avicenna, Joannes filius Mesues, Averrhoes, & Albucasis docuerunt *d*).

b) vid. hac de re Toderini, V. Cl. librum de literatura Turcarum, Italice Venetiis 1787. Voll. tribus editum.

c) Gregor. Abul-Pharag. dyn. IX. p. 172.

d) Haller bibl. anatom. L. II. Tom. I. p. 126—137.

§. 386. In ea medicinae parte, quae in explicandis medicinae originibus versatur, omnes Galenum sequuti sunt, in hoc medicos Graecos post Galenum imitati, hoc tamen discrimine, vt, quae Galenus prolixo sermone expositerat, hi copiosius adhuc atque verbosius enarrarent, & ita quidem, vt non raro quid exprimere voluerint, saltim ex versionibus eorum in latinam linguam fere omnibus, vna Vopisci Fortunati Plempii excepta, qui Avicennae partem satis bene interpretatus est, non satis perspiciatur.

§. 387. Morborum historia & semiotice, a dogmaticorum secta, mox post Hippocratis tempora exorta, negligi coepta, deinde, invalescente sensim ratiociniorum in medicina copia & varietate, fere abjecta, neque post Galenum tanti habita, quanti subtilior contemplatio de morborum originibus eorumque causis habebatur, per Arabes non

non melius exculta eſt, quam per ipſos poſt Galeni tempora Graecos medicos coli conſueverat. Imo vniverſam hiſtoriam omniaque, quae ad cognoſcendos morbos, eorum ſigna, cauſas, effectus ſpectant, negligentes, nomine morbi dato, mox ad ejus origines, quas ſibi fingebant, ex hoc vel illo humore transgreſſi ſunt, ita vt in morborum enarratione opera quaſi data vtilia omnia praeteriiſſe videantur *e*). Multum theoriae, hiſtoriae parum, medicamentorum, titulis, pro Graecorum more, vanis ſuperbientium copiam paene infinitam enarrabant, hisque medicinam morborum vniverſam eſſe comprehenſam putabant. Cumque raro proponerent quae excogitaverant ipſi, ſed hauſta ex Galeno Graecisque, qui a Galeni inde temporibus in medicina floruerant, quique ipſi ſua ex aliis hauſerant, nec non ex antiquioribus medicis Arabibus, qui quoque ſemper antiquioribus fuerant vſi, facile liquet, parum proprii eorum medicinam habere potuiſſe, neque, quod ex compilatoribus aliis ſua compoſuerunt, libros eorum vtilium compilationum laudem mereri. Sic Rhaſes, praecipuus in Arabum medicina auctor, Freindio *f*) probante, in libris ad Al Manſorem Hippocratem, Galenum, Oribaſium, Aetium, Paulum exſcripſit. Et quae propria idem vir in ampliſſimo opere habet, quod continens inſcribitur, ab Hallero *g*) excerpta, valde pauca ſunt.

e) Exem-

e) Exemplum vnicum dabo ex Avenzoare, ad Arabes medicos melioris notae referendo. Hic Libr. I. tr. 12. cap. 2. de tremore cordis haec habet: *Scias quod accidit in corde tremor, ſicut et in aliis membris conſuevit evenire. Sed ille, qui fit in aliis membris, generatur a vaporibus et fumoſitatibus, qui aſcendunt et attingunt muſculos ſeu lacertos et cutim. Ille vero tremor, qui eſt in corde, accidit propter multam repletionem et eſt in eo: et ab ipſa provenit motus ille erroneus et horribilis, qui dicitur altadeg. Et cura hujus eſt phlebotomia cum multa extractione ſanguinis: et poſtea confortare cor cum illis, quae habent ipſum confortare: ſicut cum margaritis, et lingua bovina, et auro puro, et ſimilibus.*

f) hiſt. medic. p. 237.

g) biblioth. med. pract. T. I. p. 368.

§. 388. Et tamen morborum permultorum, Graecis, praeſertim ante Galeni tempora, incognitorum, obſervationem aut deſcriptionem, quam aut caſus obtulit, aut medelae neceſſitas exegit, ab iis eſſe profectam non dubitandum eſt. Imperabant terris, in quarum aere calidiſſimo morbi complures, in temperatis regionibus non viſi, homines exercere ſolebant. Aegyptum, morborum feraciſſimam, peſtilentiae, morborum cutaneorum matrem, tenebant. Bellorum, in quibus, etiam cum diſſitarum provinciarum gentibus, cum Hiſpanis, Siculis, Italis, gerendis verſabantur, multitudo, mercaturae negotia, quae non ſine longis itineribus in his terris exerceri poterant, ipſa adeo itinera religionis cauſa in

Ara-

Arabiam de hominibus in terris remotiſſimis degentibus inſtituta, ipſaeque poſt ſaeculum XI cruce ſignatorum expeditiones in Syriam, Palaeſtinam, Aegyptum inſtitutae non parum contulerunt ad morborum prius non viſorum origines apud Saracenos accelerandas, & ad morbos Saracenis communes in alias orbis partes transferendos.

§. 389. Ut vero quae invenerint in medicina & intacta a Graecis primum dixerint, accuratius perſequar, primum monendum eſt, eos, qui in bellis gerendis fere continuo verſabantur, & quidem in ea orbis terrarum parte, in qua milites injuriis a cauſis externis & morbis ab iisdem naſci ſolitis magis expoſiti erant, caſtrenſem medicinam primum inſtituiſſe, praeceptis datis, quomodo valetudini militum in caſtris metandis proſpiciendum ſit, quoque modo adverſa, popularis praeſertim, valetudo a militibus arcenda ſit, quod Rhaſe auctore primum factum eſt *h*), in quo eum ſequutus eſt inter Arabiſtas vir laudatiſſimus, Arnoldus de Villanova *i*). Deinde cum apud eos ad commendationem in primis pertineret forma venuſta atque ſpecioſa eſſe, corpus nullo vitio affectum, caput capillatum habere, neque morbis cutaneis laborare, qui in omni calida regione frequentes eſſe ſolent, & quibus avertendis a gente ſua Mohammedes corporis lotione, purgatione, munditiei ſtudio commendato proſpexerat, ea medicinae pars, quam coſmeticen dicunt, ſummo

apud

apud eos ſtudio culta eſt, affectionesque adeo quaedam ab iis enarratae, quae ante eorum tempora ad morbos referri non conſueverant. Ad quod genus id capillorum vitium referendum eſt, ſi ſingulorum extrema pars in duas partes dividitur *k*).

h) Rhaſes ad Manſor. de re med. L. VI. c. 13.

i) Arnold. de Villanova de regimine caſtra ſequentium in Oper. edit. Lugd. 1509. fol. fol. 130.

k) Haly Abbas pract. L. I. c. 30.

§. 390. Morbos nunc, eodem inſtituto ſervato, quod in Graecis poſt Galenum medicis (§. 324), enarrabo, quos Arabes aut primum deſcripſerunt, aut quorum hiſtoriam & curationem pleniorem exhibuerunt.

Aphthas puerorum, quae primis, poſtquam in lucem editi ſunt, diebus apparent, ſolitarias, cruſtamque efficientes mox albam, mox varii coloris, pueris praeſertim frequentes, qui in calido, humido & inquinato aere vitam degunt, a Galeno, Areteao, acut. L. I. c. 9. Oribaſio, de locor. affector. curat. L. IV. c. 68. Paulo Aegineta, L. I. cap. 10. aut plane non, aut in tranſitu quaſi memoratas, deſcripſerunt vlterius, cauſam earum lac impurum eſſe arbitrantes, & commoda ad eas medicamenta commendantes, Rhaſes de pueror. morb. cap. 14. Alſaharavius pract. tract. X. cap. 2. fol. 52. ed. Auguſtan. ab anno 1519. in fol.

Aquam, quae congregatur in marſupio cordis, (hydropem pericardii dicunt) a ſe quidem non viſum morbi genus, memoravit Avenzoar Libr. I. tract. XII. c. 4.

Cruſtam

Cruſtam lacteam, puerorum morbum, ab antiquis non memoratum, primum deſcripſit Alſaharavius pract. tract. XXVI. cap. 5.

Deglutitionem impeditam optime deſcripſit ejusque varias cauſas, quae Graecos ex parte latuerunt, enarravit Alſaharavius pract. tract. XII. c. 5. Diverſos modos, quibus alimentum in ſtomachum hoc morbo laborantium transmittitur, per cannulam argenteam, rel. enarrat Avenzoar, tract. X. c. 18.

Eſſeram, morbi genus calidis regionibus omnibus commune, primum deſcripſit Joannes Serapion, pract. L. V. cap. 8. Deſcriptionem perfecerunt, praeter alios Arabes, Avicenna Libr. IV. fen. III. tract. I. cap. 13. Alſaharavius, tract. XXXI. cap. 9.

Foetori oris, narium, axillarum, totius corporis, vrinae, alvinorum excrementorum corrigendo gens, cui quae ad corporis ornatum pertinent, in primis curae erant poſt Mohammedem, operam dedit medicamentaque plurima ad has affectiones excogitavit. vid. Avicenna Libr. III. fen. V. tr. II. cap. 1. fen. VII. tr. I. c. 29. 30. Libr. IV. ſen. VII. tract. III. cap. 2. ſeq. Alſaharavius pract. tract. II. cap. 7. & tract. X. cap. 5.

Lepra, morbique ei cognati, aut eam praecedentes, morphea alba & nigra, impetigo, ſerpigo, porrigo, alopecia, tyria, pityriaſis, formica, nec non leprae particularis ſpecies, mentagra, tubercula leproſa in ſingularibus corporis partibus apparentia, in ore, manibus, pedibus, (elephantiaſin vocabant) venae exeuntis paſſio, cum elephantia juncta, (vid. Avicenna Libr. III. ſen. XXI. tr. I. cap. 17. 18. Alſaharavius pract. tract. XXVIII. cap. 11.) vngularum in tumorem durum, aſperum atque globoſum mutatio. Hos morbos omnes Arabes quidem primum non deſcripſerunt, poſt Aſclepiadis ſcilicet tempora Graecis cognitos: at quod propria obſervatione vtebantur, plura a Galeno &

Graecis poſt eum dictis addiderunt, medelam quoque diriſſimi morbi generis multiplicarunt. Quod inprimis factum eſt a Serapione, pract. tract. V. c. 3. Rhaſe, ad Manſor. L. IV. c. 34. Libr. X. cap. 92. 93. Diviſ. Libr. I. cap. 118. 119. 120. Haly Abbate, theoric. Libr. VIII. cap. 15. 16. pract. L. IV. cap. 8. Avicenna, l. cit. Avenzoaro, tr. VII. L. II. cap. 4. 5. 6. 8. 12. 25. & Alſaharavio, pract. tract. XXVIII. cap. 11. 12. tr. XXIX. cap. 9. 31. tr. XXXI. cap. 2. 3. In hac vero horum morborum enarratione notandum eſt, eos, ſtudio ſyſtematis, quod religioſiſſime coluerunt, ductos, cutaneos morbos a leproſa progenie natos admodum ſeparaſſe aliumque in hoc, alium in alio ſyſtematis loco pertractaſſe, originum a leproſa materie mentione raro facta: hinc morborum a leproſa materie localium perfectam atque cohaerentem hiſtoriam apud eos deſiderari. Sic veſicae durae, petroſae, in vniverſo corpore, Arabice Alzella dictae, quas memorat Avenzoar tract. VII. Libr. II. cap. 8. ad lepram procul dubio pertinuerunt. Ad eandem pertinuit vnguium tuberoſitas a plerisque deſcripta & paſſio alcarez ab Alſaharavio aliquoties viſa & deſcripta, tract. XXIX. cap. 21. ad leprae genus referenda, vbi apparet nigredo in manu vel pede, & non ceſſat poſtea extendi per totum membrum, quousque corrumpitur & decidit, iſtiusque membri ſenſus tam tener eſt, vt aeger ne muſcarum quidem adhaeſionem ſuper eo loco ſuſtineat. Conf. de his, quae Arabes in lepra enarranda praeſtiterunt A. C. Lorry librum de morbis cutaneis P. I. Sect. I. c. 3. art. 6. & 7. Ill. Hensler in libro *vom abendländiſchen Auſſatze im Mittelalter.* Hamburg. 1790. 8.

Mediaſtini inflammationem ejusque exitus varios deſcripſit Avenzoar L. I. tr. 16. c. 6.

Mentis

Mentis morbos, in certas ſpecies, easque ſumme multiplicatas, diviſos, ſenſuum gravitatem, ſive torporem, melancholiam cum febre, leoninam, ſi aegrotantium inceſſus greſſum leonis refert, caninam, ſi audaciae fatuitas juncta eſt, memoriae amiſſae varias ſpecies, amentiam, inſaniam amatoriam, caet. accuratius deſcripſerunt Avicenna, Libr. III. fen. I. tr. V. cap. 7—24. Alſaharavius, Pract. tract. I. Sect. II. cap. 26—32. Lycanthropiam, morbum, quem Februario potiſſimum menſe incidere plures Arabes referunt, accuratius deſcripſit Avicenna, Libr. III. fen. I. tract. IV. cap. 21. 22.

Morbos cutaneos generatim Arabes, & qui eos exceperunt, Arabiſtas plures deſcripſiſſe, quam antea medicis erant cogniti, aliorumque, Graecis cognitorum, medelam accuratius indicaſſe certum eſt. Et dolendum vtique eſt, poſt praeclaros Clmorum virorum Lorry & Hensleri labores, librum adhuc deſiderari, qui hiſtoriam morborum cutaneorum ab Arabibus & Arabiſtis enarratorum contineat.

Pericardii in duram et cartilaginoſam ſubſtantiam mutationem, ejusque inflammationem, apoſtema, qua voce Arabes inflammationem generatim deſignarunt, dictam, deſcripſit Avenzoar, Libr. I. tract. XII. c. 5. 7.

Plantam noctis, exanthematis diri genus, primum, A. C. Lorry quoque monente, de morbis cutaneis Part I. Sect. II. cap. 2. art. 2. deſcripſit Avicenna, Libr. IV. fen. 7. tr. 1. c. 10.

Salivae profluvium, a mercurii vſu inductum, aliaque in interno ore a mercurio ſumpto aut inuncto ſymptomata primum deſcripſit Alſaharavius, Pract. tract. III. cap. 3.

Spaſmorum, tonicorum praeſertim, origines in calidis regionibus frequentiores, a decubitu in terram noctis tempore, vulneribus parvis, nervo acu, clavo, vel

ſimilibus puncto, memorarunt Avenzoar, Libr. II. tract. VII. cap. 5. Alſaharavius, Pract. tract. I. cap. 22. 23.

Spinam ventoſum primus deſcripſit, notante quoque Freindio, hiſtor. medic. p. 238. Rhaſes contin. Libr. 28.

Stomachi verrucam vidit Avenzoar tract. XV. cap. 3. Erat polypi, in ventriculo haerentis, genus, tactu percipiendum, cum corporis tabe junctum, quod tamen, poſtquam in ſummam maciem, neque minus vitae periculum inciderat aeger, cum alvinis ſecibus ex alvo demiſſum eſt. Aeger ſanguinis profuſione & tabe confectus tandem periit.

Variolae et morbilli, dirum morbi genus, quod primas ſuas origines ex Aethiopia deduxiſſe videtur, (vid. Michaelis Sarcone libell. Italico ſermone conſcriptum de variolis Part. I. cap. 1. §. 163. ſeq.) quodque ex hac Africae parte in Arabiam cum Aethiopum exercitu anno poſt Chriſtum DLXXII delatum eſt, (vid Jo. Jac. Reiske miſcell. obſervat. medic. ex Arabum monumentis Lugd. Batavor. 1746. 4.) quod poſtea cum lepra aliisque foedis morbis per expeditiones cruce ſignatorum in Europam translatum eſſe videtur, & transferre quoque potuerunt Saraceni Hiſpaniam, Siciliam, Italiae partem tenentes, longe ante Rhaſis tempora in Arabia popularis morbi ſpecie graſſatum eſt. Anno enim hegirae XXXV, qui reſpondet anno poſt Chriſtum a die Julii decimo DCLV, occiſus eſt Otſchmannus chalifa, quem Abi'l Feda annal. moslemicor. pag. 82. faciem pulchram quidem, at variolarum veſtigiis ſignatam habuiſſe ait, & anno hegirae CXXXVI, qui reſpondet anno poſt Chriſtum natum DCCLII obiit Os Saffahus al Ambarae e variolis. (vid. Abi'l Feda annal. moslemic. pag. 144.) Utrumque hoc morbi genus a Rhaſe primum & peculiari libro eſſe deſcriptum notum eſt. Idem poſtea deſcripſere reliqui Arabes, Haly Abbas, pract. Libr. IV. cap. 1. Avicenna, Libr. IV. fen. II. tract.

tract. IV. cap. 6. 7. 8. Avenzoar, Libr. II. tract. VII. cap. 3. Alſaharavius, qui praeclare de iis ſcripſit, practic. tract. XXXI. cap. 10. vt alios omittam. Cognitam habuere variolarum benignam, malignam ſpeciem, formam earum variam, colorem diverſum. Symptomata in vniverſo morbi decurſu incidentia, etiam dyſenteriam varioloſis accidentem, optime deſcripſerunt: ea quoque, quae inſequi ſolent variolas, ſtudio ſingulari pertractarunt. Methodum medendi antiphlogiſticam generoſiorem omnes ad earum curationem commendarunt. Origines morbi ex peculiari inquinamento eos latebant, eum enim a nutritione foetus in vtero ex ſanguine menſtruo vitiato deducebant. Etſi popularium morborum cauſas non ignorabant, miaſmatum tamen morbos producentium nullam habuerunt cognitionem, Galeni ſyſtemati in morborum enarratione nimis ſtricte adhaerentes.

Vena Medinenſis, Graecis ante Galeni tempora jam nota, in calidioribus terris frequens morbus, deſcripta, etiam quoad curandi rationem, melius eſt ab Avicenna, Libr. IV. fen. III. tr. II. cap. 21. cf. Georg Hier. Velſchii exercit. de vena Medinenſi ad mentem Ebn Sinae. Auguſt. Vindel. 1674. 4. qui capita Avicennae ad hunc morbum ſpectantia ex Arabico iterum vertit, & ab Avenzoare, Libr. II. tract. VII. cap. 2. qui quoque nigritas eo maxima ex parte laborare primus obſervavit. Morbum ex alio infecto inter carnem & cutim degente, bobus frequentem, indeque, ſi in hominem cadit, morbum bovinum appellatum, aduſtione loci ſanandum, enarrat, praeter alios Arabes, Avenzoar, Libr. II. tract. 7. c. 21.

§. 391. Curationes morborum ab Arabibus ad Graecorum mentem eſſe peractas, facile inde intelligitur, quod Arabes in omnibus, quae ad me-

dicinam pertinent, Graecos ſequuti ſunt. Galenum in theoria ſequentes & a quatuor humorum vitio omnes fere morbos deducentes, in curatione etiam ad hos reſpexerunt, medicinis, de quibus mox loquar, generoſis ad eos aut corrigendos, aut educendos, adhibitis. Non defuerunt iis quoque medicinae ſuperſtitioſae magicaeque, etſi non negandum eſt, eos ſuperſtitioni in medicinalibus rebus longe minus inhaeſiſſe, quam Graeci aut Latini medici, poſt Galenum viventes. Epilepſia affectis verſum ex Corano auribus inſuſurrabant *l*). In palatio Eladidi, cui in Aegypti imperio ſucceſſit Saladinus, imperatorum ex Saracenorum gente nobiliſſimus, erat tympanum adverſus colicam valens, quo pulſato a laborante alvus ſtatim liberari dicebatur *m*). Quo modo medici Arabes in curatione morborum ſingularium verſati fuerint ex morbi, quo Saladinus, quem mox memoravi, tandem periit, hiſtoria, ejusque curatione apparet, quam Bohadinus, filius Sjeddadi enarrat *n*). Febre ex bile laborabat Sultanus, eaque acerrima. Medici die quarto morbi venaeſectionem decreverunt, qua morbus exaſperatus eſt: erat enim Sultanus temperamenti parum humidi. Poſtquam ad extremam debilitatem reductus erat, medici ſexto die medicamenta diluentia & lenientia praeceperunt. Deliro deinde aegro facto die decimo clyſter bis injectus eſt, & ptiſanae magna copia data, qua effectum

effectum quidem est, vt deliria per intervalla remitterent, mors vero, quae jam imminebat, arceri non potuit.

l) Abul- Pharag. dyn. IX. pag. 163.

m) Excerpta ex Abul- Feda cap. 5. pag. 12. in editione vitae Saladini, a Bohadino fil. Sjeddadi conscriptae, Alb. Schultens. Lugd. Batavor. 1732. fol.

n) Vita Saladini ed. Schultens, cap. 79. pag. 272. cf. excerpta ex Abul- Feda, huic vitae adnexa, quibus fere eadem continentur, cap. 39. pag. 60.

§. 392. Tabernas, in quibus medicamenta simplicia & composita venum prostabant, Arabes primum instituisse videntur, primaque pharmacopolae apud Arabes mentio occurrit sub Al Mohdii chalifatu, qui imperium ab anno DCCLXXV vsque ad annum DCCLXXXV tenuit. Al Chizaren enim, Al Mohdii concubina, cum aegram se esse sentiret, vrinam suam ad ignotum medicum deferri jussit, vt is ex ea morbum cognosceret & medelam praeciperet. Delata ea ad Abu Koraisch, exilis sortis pharmacopolam, is gravidam mulierem esse dixit & filium enixuram, hinc nulla medicina egere. Quod praesagium cum eventus verum probasset, Al Mohdi sanitatis suae curam huic pharmacopolae commisit *o*): eaque historia probat pharmacopolas his temporibus non solum medicamenta vendidisse, sed etiam medicinam exercuisse. Isaac, Honaini pater (§. 379.), pharmacopola fuit. Habuere pharma-

copolae quoque catalogos medicinarum apud eos venum proſtantium, neque his jam temporibus permutandorum atque adulterandorum medicamentorum artificia ignorabantur. Extat apud Abul- Pharagium notabilis hiſtoria, quae probat pharmacopoeos ſubſtituendarum medicinarum nefanda artificia caluiſſe, neque erubuiſſe divendere medicamenta, quorum adeo nomina eos latebant *p*).

o) Abul- Pharag. dyn. IX. pag. 148. 149.

p) Abul- Pharag. dyn. IX. p. 161. Sub chalifatu Al Mo'taſemi vixit Zacharias Tiphurienſis, medicus, qui haec de ſe memoravit: *Cum una cum Aphshino in caſtris eſſem, illo Babeco bellum inferente, incideretque ſermo de pharmacopolis, dixi ego: nihil a pharmacopola peti poteſt, quin, ſive habuerit, ſive non habuerit, apud ſe illud eſſe affirmaturus ſit. Aphshin ergo catalogum Aſrushinenſium quendam afferri jubens, viginti circiter nominibus inde deſcriptis, miſit ad pharmacopolas, qui ab illis medicamenta iſtis nominibus appellata peteret. Negantibus aliis, alii ſe ea comperta habere affirmarunt, acceptaque a nunciis pecunia, aliquid ex officinis ſuis illis tradiderant. Aphshin igitur, accerſitis, quotquot erant, pharmacopolis, eos, qui nomina ea ſibi nota eſſe negaverant, in caſtris manere permiſit, reliquis amotis.*

§. 313. Non vero ſimplices tantum medicinas pharmacopolae divendebant, ſed compoſitas quoque & praeparabant, & divendebant, & quidem compoſitas ſecundum medicorum praecepta, quae in compoſitorum medicamentorum libris continebanban-

bantur. Primam libri praecepta medicamentorum compoſitorum praeparandorum continentis in pharmacopoeorum vſum conſcripti (diſpenſatorium noſtra aetas dixit) mentionem Gregorius Abul. Pharagius *q*) fecit. Imperante chalifa Almo'tazzo (ab anno Chriſti DCCCLXV vſque ad annum DCCCLXIX) Sabur, Saheli filius, noſocomii Jondiſaburienſis praefectus, librum compoſuit, praeter alios, medicamentorum compoſitorum XXII capitibus comprehenſum, quem, vt diſerte memorat Abul. Pharagius, in noſocomiis medici, & in pharmacopoeis pharmacopoei ſequebantur. Ejus generis quoque librum de medicamentis & alimentis ſimplicibus & compoſitis, manu omnium medicorum verſatum, teſte Bar Hebraeo *r*), conſcripſit Haha, medicus Bagdadenſis, qui anno Arabum CCCCXCIII vivere deſiit.

q) Abul. Pharag. dynaſt. IX. p. 176.
r) Bar Hebraei Chron. p. 289.

§. 394. Res vero medicamentaria per Arabes magnopere culta eſt. Medicos Graecos poſt Galenum in eo imitantes, vt ad ſingulos morbos medicamentorum copiam commendarent, in morborum curatione ita verſabantur, vt blanda medicina, efficaci tamen, vterentur, noxasque a medicamentis validioribus caverent: poena enim atrociore in eum animadvertebatur, qui principem quendam inter Arabes virum medicina vio-

lentiore laesiſſet *s*). Erant etiam iis commercia & mercaturae cum gentibus, in quarum terris mitia efficaciaque medicamenta generantur, Indis praecipue. In omnium medicamentorum enarratione, quod Meſues exemplum in primis probat, cujus libri de pharmacis ſimplicibus ſolutivis adhuc extant, hoc tenuerunt, vt eorum virtutes ſedulo enarrarent, vſum ad morbos diligenter praeciperent, noxaeque a vehementiore quocunque medicamento quomodo avertendae eſſent docerent. Eoque modo praeparationum plurima genera ab iis excogitata ſunt, a quibus pharmaceutica chemia initia ſua deduxit.

s) Avenzoar tract. XV. cap. 3. Abi Osbaia in vit. Gabrielis Bachtishuae, Jo. Freindii hiſtor. medicinae annexa pag. 341.

§. 395. Primas enim medicinalis chemia Arabibus origines ſuas debetur, vt non dicam de alchemia, ad quam auri ſacra fames, qua prae reliquis gentibus incaluere Arabes, eos impulit, quae vero forſan medicamentis per chemiam parandis occaſionem dedit. Mercurii extincti atque ſublimati jam Rhaſes meminit. Sublimati venenum omnes paene Arabes cognitum habuerunt. Oleum ovorum ab eodem Rhaſe deſcribitur. Idem auctor oleum philoſophorum ſive benedictum tradidit fuſeque explicuit, quonam modo id in retorta vitrea, valente ad ignis vehementis vim ſuſtinendam, ideoque luto probe obducta, aucto ſenſim igne

igne ita deſtillandum ſit, vt rubicundum oleum in excipulum tranſeat. Aquam roſarum ſtillatitiam parare docuit Meſue, qui primus aquarum deſtillandarum artificium inſtituiſſe fertur *t*). Medicamenta vero per chemiae artem parata Arabes in medicina raro adhibuerunt.

t) Fuſe & erudite de his omnibus egit Jo. Freind in hiſtoria medicinae pag. 213.

§. 396. Nova nunc aut accuratius deſcripta ab Arabibus medicamenta enarrabo, ea in primis, quae in Meſues de ſimplicibus ſolutivis libro, vnico, qui ex hoc librorum genere ad nos pervenit, continentur. Aloen cum alvi purgatione ſimul ſtomachi robur reſtaurare & ſanguinem calefacere ejusque profuſiones ciere, hinc ſaepe lotura, id eſt aquoſa extractione, corrigendam eſſe, & connubia ejus cum aliis medicamentis ad hanc virtutem infirmandam, primus docuit *u*). Rhabarbari, Graecis noti medicamenti, virtutem roborantem vſumque ad viſcerum abdominalium morbos optime enarravit notasque optimi rhabarbari, quod ex India in Arabiam transferebatur, expoſuit *x*). Caſſiam fiſtulam, ab Actuario memoratam, deſcripſit, eamque ad bilem expurgandam commendavit *y*). Tamarindos, ab Arabibus primum in vſum vocatos, deſcripſit *z*). Myrobalanorum purgantem vim Arabes primum tradidere, & quae de eadem habet Zachariae filius Actuarius (§. 342.), ex Arabibus hauſit *a*). Mannam,

nam, quae apud Arabes ros dulcis erat, herbis quibusdam, imo lapidibus inhaerens, Actuario ex Arabibus ſcriptoribus notam, primum Arabes adhibuerunt *b*) Purgantem roſarum & violarum virtutem primum ab Arabibus fuiſſe detectam jam Joannes Coſtaeus & Manardus *c*) retulerunt. Agarici quoque, ſennae, quam tamen Actuarius habebat cognitam, ſarcocollae purgans alvum virtus per Arabes innotuit.

u) Meſue de ſimplicib. ſolutivis cap. 1. pag. 51. edit. Venet. apud Juntas 1570. fol.

x) Meſue de ſimpl. ſolut. cap. 5. p. 55.

y) Meſue ibid. cap. 6.

z) Meſue ibid. c. 7. vid. J. Coſtaei animadverſ. ad cap. 7. pag. 57.

a) Jo. Coſtaeus in annot. ad Meſuen de ſimplic. ſolutiv. cap. 2. pag. 54.

b) Jo. Coſtaeus ad Meſues cap. 8.

c) Jo. Coſtaeus ad cap. 10. Manardus ad cap. 11. pag. 61.

§. 397. Saccharum, quod apud Arabes lacryma erat ſponte ex arundine ſaccharifera fluens & ſolis calore in duritiem verſa, quodque pretioſioribus medicinis non Arabes ſolum, ſed etiam Arabiſtae accenſebant *d*), primum in medicina adhibuerunt, ac ſi Graeci medici ejus habuere cognitionem, eam ab Arabibus ad eos defluxiſſe exiſtimandum eſt. Moſcho, quem Avicenna in antidotario frequenter praecepit, primum vſi ſunt. Primum vſi ſunt argento vivo, extincto quo-

quoque & in vnguenti formam redacto, ad cutaneos morbos, neque ejus praeparationem per ſublimationem ignorarunt. Opinionem de auri virtute ſumma cor confortante haec gens primum habuit, quae in auro omne malorum ſolatium, omnem vitae felicitatem ponebat. Primum etiam margaritis, ſerico conciſo & hoc modo in pulverem minuto, ad vires corpori conciliandas vſi ſunt. Fabularum etiam de lapidum pretioſorum virtute medica primae origines ab Arabibus repetendae ſunt. Aromata, quae India habet, cinnamomum, caryophyllos, muſcatam nucem, Graecis ex parte cognita, primi in medicina copioſius adhibuerunt. Lapidem bezoar ad venena valere primi dixerunt. Primi quoque nitri cognitionem habuerunt, idque a nitro veterum, quod alcalinus ſal mineralis erat *e*), diſtinctum eſſe docuerunt.

d) vid. Aegidii Corbolienſ. carmen de virtute & laudibus medicaminum, L. II. v. 898. in Leyſeri hiſtoria poetar. & poemat. medii aevi p. 573. cf. hiſtoriam ſtudii medici Salernitani editioni ſcholae Salernitanae a me praemiſſam (Stendaliae 1790. 8.) pag. 59.

e) vid. G. Pazmandi idea natri Hungariae veterum nitro analogi. Vienn. 1770. 8.

§. 398. In compoſitionibus medicamentorum hoc obſervarunt, vt infeſtam vim medicamenti fere vbique, alio contrariae virtutis addito, corrigerent. Formae vero, quibus medicamenta com-

compoſuerunt, aut praeparata aegris exhibuerunt, hae erant: confectiones, quae cum ſaccharo tantum praeparari poterant & ſolidioris formae erant, quam electuaria: condita, quae cum ſaccharo & melle praeparari ſolebant: looch, ſive loch, fluidius electuarii genus, ad pectoris & pulmonum morbos adhiberi ſolitum: ſyrupus, cum ſaccharo paratus & longa coctione in ſpiſſitudinem redactus: iulep, a ſyrupo in eo differens, quod minus protracta coctione parabatur: roob, ſeu ſapa, vegetabilium inſpiſſatus ſuccus. Reliquae medicamentorum formae hae erant: electuarium, ſeu antidotus, decoctio, iufuſio, trochiſcus, pilulae, pulveres, olea cocta, vnguenta, cerata, emplaſtra *f*). Habuere quoque theriacas, hieras, Graecas compoſitiones, quibus frequenter vtebantur. *g*).

f) vid. Meſues antidotarium electariorum & confectionum edit. citat. p. 100. & Chriſtoph. Georg. de Honeſtis expoſit. ſuper antidotar. Meſues pag. 102. in edit. citat.

g) vid. Avicennae antidotarium Libr. V. tract. II. ed. Venet. apud Juntas 1608. fol. tom. II. pag. 283.

§. 399. De medicorum ſtatu apud Arabes notandum eſt, parem eorum cum pharmacopolis conditionem fuiſſe, eumque, qui morborum medelam in ſe ſuſceperat, medicum eſſe dictum, neque poenam iis defuiſſe, ſi in medendo aut pigri fuerant, aut infelices: ſi ſeduli contra & felices,

felices, maximis praemiis esse adfectos. Salaria annua medici in chalifarum aula medentes jam Ommiadarum chalifarum temporibus accipiebant. Erant etiam magistratus quidam medicorum, quique favorem principis sibi conciliaverant, medicis reliquis praeponebantur (§. 377.). Erant qui chirurgiam exercerent, erant qui solam internorum morborum medicinam: erant denique, qui singulari morborum generi, oculorum exempli causa, medicinam facere callerent. Al Hacemum, Aegypti praefectum, tumore pedis diuturno laborantem, chirurgus quidam Judaeus, qui in summa obscuritate victum sibi parabat, medicamento sicco appositio sanavit. Mercede curationis ampliſſima accepta, Al Hakir al Napheus, id est pauperum vtilis cognominatus est & in peculiarium medicorum numerum adscitus *b*): ex quo patet medicorum apud Arabes duas classes fuisse, alteram eorum, qui principibus viris medicinam faciebant, alteram qui populo, eosque hinc populares esse dictos. Caeterum Christianorum & Judaeorum, qui medicinam apud Arabes exercuerunt, numerus longe major est, quam ipsorum Arabum, Islamismo addictorum. Syria & Aegyptus permultos medicos tulere, qui in Arabia medicinam exercuerunt. Erant tandem in Arabum vrbibus etiam nosocomia, in quibus qui adversa laborabant valetudine victum & medicamenta accipiebant, iisque medici praeerant. Jon-

disa-

diſaburienſe ad antiquiſſima in oriente noſocomia pertinet. Noſocomio Rajenſi, deinde Bagdadenſi Mohammed Ebn Zacharia al Razi praefuit *i*), de quo ſummo medicinae inter Arabes auctore mox loquar. Erant etiam in Hiſpaniae vrbibus Arabum imperio ſubjectis noſocomia.

h) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 223.

i) Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. p. 191.

Caput XXIX.

Medici Arabes celebriores.

§. 400. Non hic de omnibus medicis Arabibus loquar, quotquot innotuerunt, is enim labor paene infinitus & parum vtilis foret: de his tantum dicam, qui libris ſcriptis & in latinam linguam verſis inclaruerunt, quique artis medicae ſcientia celebres per Europam evaſerunt. Catalogum reliquorum, quos ſtudio omiſi, quemque facile augere potuiſſem, Hallerus exhibet *k*). Temporis, quo ad ſua vſque tempora floruerunt medici in oriente celebres, ordinem Haly Abbas enarrat, qui, poſtquam dixerat nullum ad ſua vſque tempora extitiſſe medicum, qui medicinam in perfectum ſyſtema redegerit, medicos poſt Graecos ſuae quoque gentis perſtringit, quidque deſiderandum ſit in eorum operibus recenſet *l*). Aaronem, presbyterum Alexandrinum, pandectarum medicinalium auctorem (§. 375), primum nominat, deinde Joannem, filium Meſue, Niſaburi oriundum, quem

quem dixi §. 377. Hi viri quidem libros medicinales ſcripſerunt, qui vero noſtra tempora non attigerunt.

k) Haller in bibl. med. pract. Tom. I. pag. 333. vſque ad pag. 421. bibl. chirurg. Tom. I. pag. 115. ſeq. bibl. botan. Tom. I. pag. 171.

l) Haly Abbas in prologo L. I. theoricae, fol. 5. ed. Lugdun. 1523. 4.

§. 401. Poſt Joannem, filium Meſue, Joannem, Serapionis filium Haly memorat, quem de curatione morborum egiſſe dicit, quatenus ea per victum & medicamenta effici poſſit: nihil vero praecepiſſe de chirurgia & de ſanorum diaeta, morbosque permultos omiſiſſe, alios incongruo loco pertractaſſe, variolarum exemplo, quarum inter abſceſſus mentionem fecerit. Dubium tamen videtur eruditis, num practicum opus, quod adhuc extat ſub Joannis Serapionis nomine, genuinum ſit, cum Rhaſes in eo citari videatur, qui Joanne, ejus auctore, ſerior eſt *m*): at haec difficultas, ex nominum permutatione & falſa ſcriptione nata, in quo vtroque vitii genere Arabiſtae in primis laborarunt, vix tanta eſt, vt hoc opus non a Joanne, qui ante Rhaſen vixit, profectum eſſe putemus. Rhaſes enim, qui proximus poſt Joannem Serapionis filium ſcriptor eſt, loca quaedam ex ejus practica adducit, quae hodie adhuc in eadem reperiuntur. Pertractat autem auctor in hujus practicae medicinae breviarii

libris quatuor prioribus morbos a capite vſque ad pedes, deinde quinto libro de morbis cutaneis, de venenis quibusdam & de mulierum affectibus loquitur. Sexto febres pertractantur: ſeptimo antidotarium continetur. Alius adhuc liber eidem auctori adſcribitur, *aggregatus de medicinis ſimplicibus*, in quo etiam compoſita medicamenta ad diverſos morbos pertractantur. Hunc Freindius *n*) recentiorem & ab alio auctore conſcriptum eſſe putat & Hallerus *o*) idem probat: citatur enim in eo opere Rhaſes, Haly, ipſe Serapion, & Davides, Serapionis filius. Morborum in practicae breviario enarratio breviſſima eſt, ſecundum Galeni de quatuor humoribus theoriam facta, medicamentorum copia infinita. Eſſerae (§. 390.) deſcriptio in hoc libro continetur, prima eorum omnium, quae in Arabum medicorum ſcriptis continentur.

m) Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 344.
n) Freind hiſtor. medic. p. 234.
o) Haller bibl. med. pract. Tom. I. p. 344. biblioth. botan. T. I. p. 179.

§. 402. Anno hegirae CCCXX, poſt Chriſtum CMXXXII, fato functus eſt, & quidem LXXX annos natus, medicus omnium inter Arabes celeberrimus, Mohammed Ebn Zacharia al Razi, vulgo Rhazes aut Rhaſes dictus. Rhei, quod oppidum in Perſiae provincia Irak aut Chorafana ſitum eſt, natus, primo fidicen fuit, deinde, relicta

licta ea arte, ad philoſophiae & medicinae ſtudium, cum aetate jam provectus eſſet, ſeſe contulit. Noſocomio Rajenſi, deinde Bagdadenſi, ad tempus praefuit. Sub vitae finem ex nimio fabarum eſu coecus factus, oculos ſuos oculario medico, eorum ſanationem promittenti, recuſavit, cum medicus, interrogatus ab eo, neſciret, quot tunicis oculus eſſet compoſitus. Tria ſcientiarum genera coluiſſe eum, at infeliciter haec omnia, ei, Abul-Pharagio referente, objectum eſt. Alchemiam coluit, at in auro parando tam infelix, vt decem aureorum cauſa, quos vxori dotis loco debebat, ab ea in judicium vocatus, in carcerem conjiceretur. Medicinae porro peritiam jactaſſe; at ipſum lumina perdidiſſe. Aſtrologiam & futurorum ſcientiam venditaſſe; adverſa tamen omnia, quae ei evenerunt, non animadvertiſſe, niſi poſtquam in ea incidiſſet. A ſcribendo eum nunquam deſtitiſſe & chemiae libros XII compoſuiſſe, alchemiamque a poſſibili propius quam ab impoſſibili abeſſe putaſſe, idem auctor refert *p*).

p) Abul-Pharagius dyn. IX. p. 191. 192.

§. 403. Medicinalis ſcientiae tantam gloriam conſequutus eſt, vt experimentatoris cognomine ornaretur, & ab Arabibus Galeno niſi ſuperior, ſaltim par exiſtimaretur. Inter centum medicos electus eſt, qui noſocomii Bagdadenſis curam gereret. Compoſuit, Abi Osbaja narrante, libros

CCXXVI, quorum pauciſſimi interitum evitarunt. Attigere tamen noſtra tempora continentis ampliſſimum opus, tomis XII, libris LXX comprehenſum, ex Graecis Arabibusque medicis collectum, cujus partem tantum habemus, nec non decem ad Almanſorem, Choraſanae dominum, libri: liber diviſionum: de antidotis: de affectibus junctura rum: de morbis infantum: antidotarius: de praeſervatione ab aegritudine lapidis: de ſectionibus, cauteriis & ventoſis: de facultatibus partium animalium: de peſtilentia, in quo libro variolas deſcripſit. Continentem, magnae molis opus, neque Arabes, Haly Abbate quoque notante *q*), neque Arabiſtae magni fecerunt, non ſaepe quoque editum *r*). Maximam vero laudem promeritus eſt libris decem ad Almanſorem, quibus de arte medendi compendioſa introductio continetur: nonusque, qui morborum a capite ad pedes vſque curationem complectitur, tanti ab Arabiſtis habitus eſt, vt per aliquot ſaecula doctiſſimi profeſſores eum in publicis praelectionibus exponerent, multique eum commentario illuſtrarent, etſi, vti ipſum continentis opus, parum proprii habet, ſed ex excerptis ex Galeno aliisque poſt Galenum Graecis & Arabibus medicis compoſitus eſt *s*). Maximam laudem meritus eſt, quod variolas primus, &, quod praeſtantius adhuc eſt, egregie deſcripſit.

q) Haly Abbas theoric. L. I. prolog. p. 6.

r) Pro-

r) Propria, quae in eo continentur, excerpſit Haller, in biblioth. med. pract. T. I. p. 365.

s) Probavit hoc Freind in hiſt. medic. p. 236.

§. 404. Sub Al Tagei imperio, qui anno hegirae CCCLXXXI chalifatu ſe abdicavit, floruit Ali Ebno'l Abbas, vulgo Haly Abbas dictus, vir eximius, perfecte doctus, ortu Perſa. Studiis literarum operam dedit apud doctorem Perſam, nomine Abu Mahier. In gratiam regis Adado'ddaulae librum ſuum Al Malecci, id eſt regium appellatum, compoſuit, qui liber vniverſam medicinam in epitomen redactam continet: eoque medici, donec Avicennae canon prodiret, in primis vſi ſunt. Arabes eum adeo, quoad praxeos praecepta, ipſo canone Avicennae, quem vero ſolidiorem quoad ſcientiam eſſe arbitrabantur, praeſtare putabant *t*). Libri ſunt decem theoricae, totidem practicae, ordine ſatis concinno elaborati, & ſyſtema medicinae vniverſae, anatomes, phyſiologiae, diaeteticae, pathologiae generalis, ſemioticae, pathologiae & therapiae ſpecialis continentes. Morborum, vt in omnibus medicinae Arabibus ſcriptoribus, enarratio parca eſt, neque ſymptomatum, ſed cauſarum, quae omnes a quatuor qualitatibus, maxime vero a quatuor humoribus deductae ſunt. Medicamentorum copia fere infinita. Librum theoricae Conſtantinus Africanus in compendium redegit titulo-que de communibus medico ſcitu neceſſariis locis edidit *u*).

t) Abul-

t) Abul-Pharag. dyn. IX. p. 215.
u) Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 380.

§. 405. Al Kader, chalifa, qui anno hegirae CCCLXXXI inauguratus eſt, imperante, floruit Abu Ali Hoſain Abdalla Ebn Sina, cognomine Al Scheik & Al Reis, Avicenna occidentalibus dictus. Patrem habuit Belchenſem, villae procuratorem. Bocharae a patre ad praeceptorem miſſus eſt, qui Alcoranum & literas humaniores eum doceret. Cum decem annos compleverat, Coranum & magnam humanioris literaturae partem jam tenebat. Deinde olitorem in Indorum computandi ratione praeceptorem habuit. Abu Abdallam in logices ſcientia audivit, dein, cum is ipſi non ſufficeret, ipſe, ſine duce, miroque ſtudio philoſophiae & mathematices diſciplinis operam dedit. XVI annos natus medicinae ſe applicuit: interea philoſophiae tantam operam impendens, vt in ſtudiis plures noctes tranſigeret ſomnumque, vino epoto, excuteret. Deinde, pluribus itineribus inſtitutis, Hamdani principis Codbanawaiae miniſter & Vizierus factus eſt. Tandem Iſpahani, poſtquam libros permultos ſcripſerat, vinoque & rebus venereis nimis indulſerat, colico dolore, qui poſtea in epilepſiam tranſiit, affici coepit. Cum convaluiſſe erat viſus, Hamdanum profectus, eodem morbo redeunte, quem clyſteribus nimis acribus & nimis copioſe ingeſtis exaſperaverat, annos LVIII natus, & anno hegirae CDXXVIII fato functus eſt *x*).

x) Vitam

x) Vitam ejus prolixe enarrat Gregor. Abul- Pharag. dyn. IX. pag. 229. cf. vita Avicennae ex Sorſano Arabe, ejus diſcipulo, a Nic. Maſſa ſcripta, edit. Avicennae Venet. apud Juntas 1608. fol. praemiſſa. Freind. hiſtor. medic. pag. 242.

§. 406. Ingens opus compoſuit, canonis nomine inſcriptum. Reliqua numeroſa ejus opera, quae ex parte Hallerus *y*) citat, paucis quibusdam libellis exceptis, perierunt. Canonis vero fama ita per vniverſam eam orbis partem, quam Saraceni tenebant, pervulgata eſt, vt eum alii haud pauci Arabes in epitomen redigerent, & in eundem commentarios ſcriberent. Adeo celebris idem canon etiam in Europa factus eſt, vt per aliquot ſaeculorum ſpatium nulla alia in medicinae ſcholis obtinuerit doctrina, in quibus vſque ad ſcientiarum iuſtaurationem Avicenna feliciter regnavit *z*). Continetur autem in hoc canone medicinae theoreticae & practicae ſyſtema ſermone tam diffuſo enarratum, tantaque ſpeculationum & contemplationum vanarum vbertate refertum, vt neque Freindius *a*), neque Hallerus *b*) in ejus lectione finem invenire potuerint. Quae vero in vaſto hoc opere continentur, omnia ex parte ex Galeno, ex parte vero ex Rhaſe, Haly Abbate, aliisque Arabibus deſumta ſunt.

y) Haller biblioth. med. pract. Tom. I. p. 383. 384.
z) Freind hiſtor. medic. pag. 243.
a) Freind ibid.
b) Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 384.

§. 407. Anno poſt Chriſtum MXXVIII obiiſſe dicitur, verum quia Avicennam citavit, cujus obitus in annum poſt Chriſtum MXXXVI cadit, ſeriore forſan tempore mortuus eſt Joannes filius Meſues, Mardini, in Meſopotamia natus, Jacobita, medicus Cairenſis. Is librum ſcripſit canones vniverſales de medicamentis purgantibus componendis, & ſymptomatibus, quae alvi purgationem inſequuntur, depellendis, nec non purgantium medicinarum ſimplicium enarrationem & antidotarium (§. 398.) continentem, quo & medici, & pharmacopolae inprimis vſi ſunt. Propria, quae in eo continentur, Graecisque non dicta, ſupra (§. 396.) enarravi. In libro de aegritudinibus capitis, colli & pectoris, quem ex Graecis & Arabibus compoſuit, brevem morborum hiſtoriam, cauſas Galenicas prolixiores exhibuit, medicamentorum vero copiam infinitam commendavit.

§. 408. Al Wazir Abu Merwan Abdelmelech Ibn Zohr, Avenzoar vulgo dictus, ab Averrhoe magnis laudibus ornatus, natus, ſaltim diu commoratus eſt Hiſpali, Andaluſiae vrbe. Noſocomio in ea praefuit & regis Almanſoris medicus fuit. Annos CXXXV natus, cum proſpera valetudine toto hoc vitae tempore vſus eſſet, Marocci, anno hegirae DLXIV fato functus eſt *c*). Scripſit librum Al Teizir, ſive facilitationem regiminis, quem alii etiam cum alia inſcriptione edi-

ediderunt, in quo victus & medicinae praecepta ad morbos corporis humani tradidit. Vir fuit inter omnes Arabes, qui de internis morbis scripserunt, propria experientia plurima vsus, hinc experimentator quoque dictus. Internam medicinam & chirurgiam exercuit, casusque permultos morborum & curationum ab ipso peractarum enarrat, neque ea, vbi infelix eventus fuerat, imo nec ea, quae effecerunt, vt in carcerem conjiceretur, silentio praetermittit. Mediastini inflammatione (non abscessu, vt multi putant, nescientes Arabistas sub apostematis voce inflammationem intellexisse), quam descripsit, ipse laboravit *d*).

c) Freind histor. med. p. 244. Haller. biblioth. med. pract. Tom. I. p. 395.

d) Quae propria habet, fuse enarrant Freind. p. 244. vsque ad pag. 254. Haller biblioth. med. pract. Tom. I. pag. 396.

§. 409. Averrhoes, Cordubae natus, & anno hegirae DXCV, aut, vt alii volunt, anno DCIII fato functus, philosophiae magis, quam medicinae, animum applicuit & in Aristotelem in primis multa volumina conscripsit, quam ob causam etiam anima Aristotelis appellatus est. Scripsit compendium medicinae, quod titulo: colliget, inscripsit, Mirammolini Maroccensis jussu, ex aliis libris, vt ipse fatetur, compositum. Neque quicquam proprii habet, nisi quod, Freindio mo-

nente *e*), hominem ſemel tantum variolis poſſe laborare dixerit.

e) Freind hiſtor. med. p. 255.

§. 410. Rabbi Abu Amram Moyſe Ben Obeidalla Ben Maimon, Cordubenſis, qui in Aegypto vixit & anno hegirae DCV obiit, in majore honore habitus, quod legis Judaicae peritus interpres extitit, quam ob medicinam, quam non exercuit. Extant ejus aphoriſmi ſecundum doctrinam Hippocratis & Galeni & tractatus de regimine ſanitatis ad Sultanum Babyloniae *f*).

f) Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 399.

§. 411. Abul Caſem Calaf Ebno'l Abbas, Albucaſis vulgo dictus, idemque cum eo viro, quem ſub Alſaharavii nomine ſaepius citavi, incerti temporis auctor, attamen a Matthaeo Silvatico, qui ſaeculo decimo tertio exeunte vixit, citatus, vltimus Arabum eſt, quorum libri medicinales in latinam linguam verſi ad nos pervenerunt. Liber theoricae & practicae ab eo ſcriptus, qui ſub Alſaharavii nomine a Petro Ricio verſus proſtat, epitomen, Freindio g) probante, ex Rhaſe praeſertim continet, propriis tamen permultis, quae ſupra (§. 390.) memoravi, interpoſitis. Pertinere ad hunc eundem virum de chirurgia librum, Freindius *h*) probavit. Isque Abul Caſem vnicus auctor inter Arabes eſt, qui hanc medicinae partem in proprio libro pertractavit, &, quod ad ejus commendationem facit maxime, in eo

eo labore ita verſatus eſt, vt Graecis, in primis Paulo Aegineta & Arabibus ante eum viventibus quidem vſus ſit, attamen ad ea in primis reſpexerit, quae vtilia atque neceſſaria in chirurgiae artificio vſus ipſe eum docuiſſet *i*). Cauteriis, de quibus librum primum chirurgici operis integrum ſcripſit, frequenter vſus eſt. Altero libro de inciſione, perforatione, phlebotomia, & his ſimilibus egit: tertio de fractorum oſſium, diſtorſionis & dislocationis curatione. Quae propria ipſi ſunt, enarrata leguntur apud Freindium *k*) & Hallerum *l*).

g) Freind hiſt. med. p. 257.

k) Freind. p. 258.

i) *Et ego*, verba ſunt haec ipſius auctoris, in libri chirurgici Part. III. cap. 1. p. 277. edit. Hermanni comitis de Neuenaar, *non obviavi in eo vnquam bono omnino, et non adeptus ſum ex eo illud, quod ſum adeptus, niſi propter longitudinem lectionis librorum antiquorum, et ſtudium ſuper intellectum eorum, donec extraxi ſcientiam illius ex eis. Deinde adhaeſi experimento ac ſtudio longitudine vitae meae*, caet.

k) Freind hiſt. med. p. 257. ſeq.

l) Haller bibliothec. chirurg. Tom. I. Libr. II. p. 137.

MEDI-

MEDICINAE RECENTIORIS

PERIODUS IV.

Medicina Hippocratis et Galeni in ſtudio medico Salernitano aliisque inſtitutis doceri ſolita.

CAPUT XXX.

Medicinae in occidente progreſſus ad Scholae Salernitanae vſque tempora.

§. 412.

Medicina Graecorum, quae vero priſtinae gravitatis atque vtilitatis partem longe maximam amiſerat, Graecis imperatoribus orientem tenentibus, neque prius in priſtinam integritatem reſtitui coepit, quam, expugnata a Turcis Conſtantinopoli, cum doctis viris in Europam, Italiam praeſertim, tranſiret, per magnum temporis ſpatium inter Saracenos aliasque orientis gentes viguit, a Graecis ad eos translata (§. 369—383.). Medicinae in occidente, in primis Italia, iniqua fata maturiora fuere. Ut non dicam de barbarorum incurſibus, quibus occidentis provinciae a quinti ſaeculi initio divexatae ſunt, quae calamitates vti omnibus literarum ſtudiis, ita medicinae etiam ſtudio obfuerint neceſſe eſt, Viſigothi, Heruli, qui tandem, rege Odovacro conſtituto, anno Chriſti CDLXXVI Romano imperio in occidente finem impoſuerunt, quique Herulos excepere, Oſtrogothi atque Longobardi, literarum ſcientiis tanta

tanta damna intulerunt, vt, quae ſpatio temporis parvo praegreſſo, ſaltim pro ſaeculi more & ingenio adhuc floruerant, nunc depreſſae eſſent, imo extinctae quaſi viderentur.

§. 413. Medicina, quam iis etiam temporibus, quibus Romanorum imperium per vniverſam orbem erat dilatatum, Graecorumque artes literaeque apud Romanos ſtudioſe colebantur, pauci Quiritium attigerant, in qua, ſi Corn. Celſum excipis, nullus eorum, qui latina lingua vtebantur, excelluit, quae adeo Romae potiſſimum & in Italia id detrimenti accepit, vt ejus ſcientia aut eorum tantum memoria comprehenderetur, quae alii dixerant, aut ſcientia medicamentorum (§. 262.), poſt barbarorum incurſus in Italia fere deleta eſt. Etſi quidem orientis imperatores, Oſtrogothis expulſis per Beliſarium, Juſtiniani imperatorem, ſupremum imperium tenentes, exarchis tradita a Juſtino II regiminis poteſtate, ſcientias ex oriente & cum eis medicinam in Italiam transmittere potuiſſent, tanta tamen deſidia animos Italorum occupaverat, vt ne vnus quidem medicus horum temporum exiſtat, qui, natus in Italia, ibi medicinam didicerit atque exercuerit.

§. 414. Si vero etiam medicis, ſaltim his caruit his temporibus Italia, quorum memoriam temporum calamitates non extinxerint, eam tamen ſine medicis fuiſſe non exiſtimandum eſt.

Clerici

Clerici enim cum animorum cura etiam corporum curam in ſe ſuſceperant, & ſicut in oriente plures extitere, qui presbyterorum, epiſcoporum munere fungebantur, ſimulque medicinam exercuerunt, ita etiam in occidente, & in hoc magis, quoniam medicis carebat, eremitae, clerici omnes medicorum officia in ſe ſuſceperunt. Poſtquam vero S. Benedictus, Nurſinus, ex Umbria Italiae eremita, anno CDXCV Sublacenſis, & poſt duodecim condita monaſteria, celeberrimi Caſinenſis monaſterii conditor extiterat, ordineque monachorum Benedictinorum inſtituto, monachorum, qui in ſocietate coenobiorum vivebant, pater per occidentem & orientem factus fuerat, medicina mox ad monachos tranſiit.

§. 415. Et in his, Benedictinorum praeſertim, monaſteriis doctrinae aliqua ſaltim pars culta eſt. Erat enim inſtitutum Benedictinorum, ab ipſo eorum auctore ſine dubio profectum, vt literarum ſtudiis operam darent & in omnibus praeclaris diſciplinis, ad ſtatum monaſticum pertinentibus, conductis ad hoc doctiſſimis & praeſtantiſſimis quibusque viris, ſuos omnes erudire & nobilitare ſtuderent *m)*: erant itaque jam his temporibus, quibus excolerentur ſcientiae, in Italia inſtituta, in quibus ſaltim haec literarum ſtudia florebant, vt monachi in legendo, pſallendo, ſcribendo exercerentur. Scribendi in primis exercitatio, in qua fere ſoli monachi erant verſati, effecit,

vt

vt monachi medicinales codices & crebro deſcriberent, qua opera ſine dubio factum eſt, vt interitum multi effugerent, & ipſi medicinae qualemcunque cognitionem ſibi compararent.

m) vid. Flav. Alexandr. Ugonii de dignitate ac praeſtantia reipubl. Caſinenſ. libr. in Graev. & Burmanni theſaur. tom. IX. part. I. p. 327. & quae ego propoſui in ſtudii medici Salernitani hiſtoria p. 14. ſeq.

§. 416. Commercia quoque & mercaturae negotia, quae Italia cum Graecis, & poſtquam Siciliam & Italiae adeo partem Saraceni occupaverant, cum Saracenis habere non deſiit, medicinae ſcientiam qualemcunque per Italiam propagare potuere. Erant poſt Pariſinam ſtudiorum ſcholam, anno DCCCII, conſilio Alcuini, a Carolo Magno conditam in Gallia complures ſcholae, quas in ſtudii Salernitani hiſtoria dixi *n*). Bononienſe in Italia gymnaſium origines ſuas a Theodoſii II temporibus deducebat, qui anno CDL vivere deſierat. Ticinenſem ſcholam Carolum Magnum inſtituiſſe, illiusque nepotem, Lotharium, in Italiae civitatibus pluribus ſimiles ſcholas fundaſſe Muratorius *o*) probavit. Erant etiam prope cathedrales eccleſias in Italia & Gallia ſcholae philoſophorum, diverſarum artium peritiam habentium, & in palatinis principum ſcholis, quales Carolus Magnus etiam inſtituit, literarum ſtudia, pro temporum ingenio, tractari ſolebant.

n) Hiſtor.

n) Hiſtor. ſtudii medici Salernitani p. 30. 31.

o) v. Henr. Pantaleo de vir. illuſtr. German. P. II. Murator. diſſ. ad antiq. medii aevi XLIV. Tom. III. p. 883. 884.

§. 417. Haec quidem etſi non probant medicinam in his ſcholis eſſe traditam, probant tamen, Italiam atque Galliam magiſtris non caruiſſe diverſarum artium peritiam habentibus, & Carolum Magnum in primis curaſſe, vt gentes, quas ſubegerat, doctrinae quendam, pro ſaeculi more, cultum acquirerent. Scholas etiam medicas in palatio aperuit *p*). Monachos adeo Marcus Aurelius Caſſiodorius circa annum DLX monuit, vt Hippocratis, Galeni therapeutica ad philoſophum Glauconem, ex Graeco in latinum verſa, Caelium Aurelianum, Hippocratem de herbis & curis aliudque ex variis auctoribus collectum medicinale opus legerent *q*). Ut itaque, ſi etiam iniqua ſorte depreſſa in Italia his temporibus fuiſſe literarum & medicinae ſtudia appareat, ea tamen non penitus fuiſſe deleta exiſtimandum eſſe videatur.

p) Tob. Köhler primus artis medicae peritia celebris Wintarus. Götting. 1752. 4. p. 15. Haller. biblioth. med. pract. Tom. I. p. 424.

q) Hos libros monachis ſuis in bibliotheçae ſuae finibus reconditos ſe reliquiſſe teſtabatur Caſſiodorius, in libr. de inſtitutione divinar. literar. vid. meam ſtudii medici Salernitani hiſtoriam pag. 34.

CAPUT

CAPUT XXXI.

Scholae medicae Salernitanae initia et progreſſus.

§. 418. Salernitanorum vrbs, quae mari adjacet & mercaturae negotia cum Graecis & Saracenis multa gerebat, cujus agrum adeo Saraceni, poſtquam Siciliam occupaverant, non raro tenuerunt, medicinam & a Graecis, & a Saracenis accipere potuit. Potuit eandem etiam accipere a montis Caſinenſis monachis, qui antiquiſſimo jam tempore vario doctrinae genere excelluerunt, & quorum multi medicinae ſtudio inclaruerunt. Ex his fuere Bertharius, ab anno DCCCLI Caſinenſis abbas *r*), Alphanus *s*), Deſiderius, Caſinenſis monaſterii abbas *t*). Conſtantinus tandem Africanus medicinalem ſcientiam, quam in oriente didicerat, Salernum & in Caſinum montem transtulit.

r) Jo. Bapt. Mari annot. ad Petr. Diac. de viris illuſtrib. Caſinenſ. cap. 12. in theſaur. Graev. Burmann. t. IX. p. 353. Ex Tiraboſchio Jagemannus in libr. *Geſchichte der freyen Künſte und Wiſſenſchaften in Italien.* Vol. III. part. I. p. 44.

s) Petr. Diacon. de viris illuſtr. Caſinenſ. c. 19. in theſaur. Graev. Burmann. t. IX. p. 362. & Jo. Bapt. Marus in annot. ad hoc caput. cf. meam ſtudii Salernitani hiſtoriam p. 20. 21.

t) Leo Oſtienſ. chron. Caſinenſ. Libr. III. c. 7. in Muratorii ſcript. rer. Italic. Tom. IV. pag. 416. cf. meam ſtudii Salernitani hiſtoriam p. 22.

§. 419. Sed jam ante Conſtantinum Salerni ſchola medicorum & medici artis exercitio celebres

lebres fuere. Sique fides antiquo chronico eſt, quod Antonius Mazza excerpſit, verum non deſcripſit, medicina antiquiſſimis temporibus in hac ſchola diſcentibus, qui ex variis gentibus Salernum convenerant, diverſo ſermone tradita eſt. *Salernitani ſtudii medici primaevi fundatores fuere Rabinus Elinus, Ebraeus, qui primum Salerni medicinam Ebraeis de litera Hebraica legit: Magiſter Pontus, Graecus, de litera Graeca, Graecis: Adala, Saracenus, Saracenis, de litera Saracenica: Magiſter Salernus latinis medicinam de litera latina legit u).* Exeunte ſaeculo decimo Verdunenſis epiſcopus quidam Salernum profectus eſt, vt medicis ibi degentibus corporis ſui curam committeret *x*), & Ordericus Vitalis, qui hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam ad annum vſque MCXLI perduxit, medicorum ſcholas ab antiquo tempore in Salernitana vrbe eſſe habitas diſerte memorat *y*). Ut itaque & ex his, quae adduxi, teſtimoniis, & ex iis, quae copioſius expoſui in ſtudii medici Salernitani hiſtoria *z*), appareat, ad gloriam medicinae ſibi comparandam minime expectaviſſe Italiam, vt principes Arabum ſcriptorum prodirent, ex quorum ſcriptis proficeret & Salernitanam medicinalem ſcholam, etſi per Carolum Magnum, vt multi voluere, fundata dici non poteſt, tamen ante ea tempora extitiſſe, quibus Conſtantinus Africanus medicinam Graecorum & Arabum ex oriente Salernum tranſtulit.

u) Ant.

u) Ant. Mazza in vrb. Salernitanae hiſtoria & antiquitat. in theſaur. antiquit. & hiſtoriar. Italiae Graevii & Burmanni Tom. IX. part. IV. cap. 9. pag. 63.

x) Hugo Flaviniacenſ. Chron Verdunenſ. Part. I. ad fin.

y) Orderic. Vital. L. III. eccleſiaſt hiſtor. ad ann. 1059.

z) Quam praemiſi editioni regiminis ſanitatis Salerni, Stendal. 1790. p. 24.

§. 420. Auxit, poſt mediam ſaeculi XI partem elapſam, ſcholae Salernitanae famam ſummopere Conſtantinus, Carthagine oriundus, hinc Africanus dictus, qui, itinere inſtituto per Aſiae & Africae cultiores partes, ſcientias, quas harum terrarum incolae colebant, didicerat. Babylone, quae antiqua ſedes literarum erat, grammaticam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, mathematicam, aſtronomiam, necromantiam, muſicam, phyſicam Judaeorum, Perſarum, Saracenorum, Aegyptiorum atque Jndorum edoctus eſt. Indiam deinde adiit, abſolutoque poſt XXXIX annos tandem ſtudiorum curſu Carthaginem rediit. Pulſus denique a civibus ſuis mala quaevis a magicis ejus artibus metuentibus, navi clam Salernum, cui oppido crebra cum Saracenis & oriente mercatura erat, petiit. Robertus Guiſcardus, e Normannorum gente Salernitanus princeps, eum a ſecretis ſuis eſſe juſſit. Tandem, poſtquam medicinam Salerni vlterius coluerat, in monaſterium Caſinenſe ſe recepit, monaſticam vitam amplexus. In eo Arabum atque (quod tamen dubium eſt) Graecorum libris in latinam

linguam vertendis operam dedit tanta gloria, vt orientis atque occidentis doctor alterque Hippocrates appellaretur. Anno tandem MLXXXVII fato in eodem monaſterio functus eſt *a*).

a) cf. de hoc viro ſcriptores, quos citavi in hiſtoria ſtudii medici Salernitani pag. 36.

§. 421. Verſiones librorum philoſophicorum & medicorum a Saracenis conſcriptorum Carolus quidem Magnus jam confici juſſiſſe dicitur; at quoniam ejus temporibus (fato functus eſt Carolus anno DCCCXIV) libri ex vtroque ſcientiarum genere a Saracenis compoſiti pauci aut nulli proſtabant, fieri non potuit, vt jam his temporibus verſiones latinae ex Arabum libris conficerentur. Hinc ex Arabico verſiones, a Conſtantino Africano profectae primis adſcribendae ſunt, isque vir ad primos referendus eſt, quo auctore per ſcriptos libros medicina Saracenorum & magna ex parte Graecorum in Italiam reliquamque Europam devenit. Aphoriſmos Hippocratis ex Arabico latinos fecit *b*). Galeni libros aliquot excerpſit. Iſaac, Honaini filii (§. 379.), verſiones ex parte, Haly Abbatis theoricae libros ſuo nomine edidit (§. 404.). Sextum adeo Placitum, empiricum (§. 354.), mutatum aliquo modo, & absque veri auctoris nomine edidit *c*).

b) vid. Fabricii biblioth. Graec. ed. Harles L. II. cap. 2[illegible]. §. 21. Tom. II. p. 542.

c) vid. praefat. meam ad parabilium medicamentor. ſcriptores antiquos Norimb. 1788. 8. p. 22.

§. 422.

§. 422. Iisdem Conſtantini temporibus Salerni vixit Gariopontus *d*), qui ad totius corporis aegritudines remediorum libros IV, nec non de febribus libros II ex Arabibus maxime & Graecis compoſuit & libri, qui titulo: paſſionarius Galeni circumfertur, auctor eſſe dicitur. Iisdem quoque temporibus Salerni vixit Sichelgaita, Guaimarii, ducis Salernitani e Longobardis filia, venenorum ſcientia, quam a medicis Salernitanis acceperat, famoſiſſima. Ejus temporibus medicorum ſcholam habentium coetus Salerni erat *e*). Poſt Conſtantinum floruit Joannes, Conſtantini diſcipulus, libelli forſan, verſibus Leoninis ſcripti, quod regimen ſanitatis Salerni inſcriptum & totius ſcholae Salernitanae nomine emiſſum eſt, verſificator *f*).

d) Hoc probari poteſt ex Petri Damiani, epiſcopi Oſtienſis loco in L. V. epiſtolar. ad Pandulf. Cleric. epiſt. 16. Is ab anno 1030 vſque ad annum 1072 floruit & Gariopontum *notum ſibi virum honeſtiſſimum, adprime literis eruditum et medicum* vocat. Vid. meam ſtudii medici Salernitani hiſtoriam p. 39.

e) Orderic. Vital. in hiſtor. eccleſiaſt. ad ann. 1085.

f) vid. diſſertat. de regiminis ſanitatis Salernitani auctore librisque ſcriptis ac editis, quam praemiſi edit. regiminis ſanitatis Salernitani p. 93. ſeq.

§. 423. Scholae Salernitanae, quae ab his temporibus floruerat, auctoritatem auxit Rogerius, Siciliae atque Apuliae rex, lege anno MXL data, vt qui mederi morbis vellet, officialibus

regis & judicibus ſe praeſentaret, eorum judicio diſcutiendus: vtque, qui ſua temeritate medicinam exercere praeſumſerit, carceri conſtringeretur. bonis ejus omnibus publicatis *g*). Hac lege proſpicere voluit Rogerius, ne ſubjecti periclitarentur ex imperitia medicorum, efficereque vt Salerni ſcientiae medicae ſtuderent medici, quam probare debebant prius, quam eam exercerent *h*).

g) Extat haec lex *de probabili experientia medicorum* inſcripta cum Friderici II conſtitutionibus Siculis in P. Canciani barbarorum legibus antiquis Tom. I. pag. 367.

h) Illuſtravi hanc legem in tractatione: *Erläuterung der wichtigſten Medicinalgeſetze*, quae in Pyl, V. Cl. libello: *Repertorium für die öffentliche und gerichtliche Arzneygelahrheit*, Vol. III. part. I. legitur.

§. 424. Romualdi, archiepiſcopi Salernitani temporibus, ab anno MCLVII vſque ad annum MCLXXXI floruit Aegidius Corbolienſis, qui Salerni medicinae ſtuduerat & in carmine de virtutibus & laudibus medicaminum ſtatum medicinae, qualis ſuo tempore Salerni fuerat, praeclare expoſuit. Erant ejus temporibus multi magiſtri in phyſica, qui Salerni medicinam docebant, in iisque non pauci, quibus doctrina erat opus, quosque magis vetuli doctoris ab ore pendere decuiſſet, quam ſibi non dignas cathedrae praeſumere laudes *i*). Salernitana ſchola ejus temporibus rectorem ſuum, ex medicorum collegio Salernitano electum, eundem ſine dubio, quem hodie

hodie adhuc ex eodem collegio electum Priorem appellant, habuit *k*). Memorat autem Aegidius praeceptores ſuos, quos Salerni audiverat, Petrum Muſandinum, virum medicinali ſcientia celeberrimum, Maurum, aliosque medicos Salernitanos, Joannem Caſtalium, Muſandini diſcipulum, Salomonem, Ricardum *l*).

i) Aegid. Corbolienſ. de laudib. & virtut. medicaminum Libr. III. v. 571. in Leyſeri hiſtor. poetar. & poemat. medii aevi pag. 598.

k) Aegid. Corbolienſ. de laudib. & virtut. medicam. in proleg. ad Libr. I. v. 87.

l) Aegid. Corbolienſ. L. I. verſ. 98. in Leyſer hiſt. poet. & poemat. medii aevi p. 509. L. I. v. 107. 126. 145. 132. L. IV. v. 383.

§. 425. Medicina vero, quae Aegidii temporibus Salerni docebatur, non Saracenorum, ſed Graecorum erat. Memorat Aegidius in carmine, quo de virtutibus & laudibus medicaminum egit, in quo argumento Arabes in primis fuerant verſati, ne vllum quidem ex Saracenorum gente medicum, & vnicam tantum medicamenti compoſitionem, quam Saracenicae generali titulo inſignivit; Hippocratem vero ſemel quidem, at cum laude ſumma, Galenum autem ſaepiſſime, eumque vniverſi orbis doctorem vocat, quod probat ejus medicinam Salerni maxime eſſe traditam. Sed Salernitanus ager, medicinarum feraciſſimus *m*), Monſpelienſium, qui jam his temporibus & medicam ſcholam habebant, & medi-

camenta praeparabant atque divendebant, exemplum *n)*, quod dum ſequebantur Salernitani, in confectionibus praeparandis, praedicandis atque divendendis maxime occupabantur; mutua aemulatio, quae inter Monſpelienſem & Salernitanam ſcholam erat, odiumque, quod ab aemulatione raro abeſſe ſolet, in primis vero ſtudium ſingulare, quod in medicamentis componendis medici poſt empiricorum ſectam deteriorem factam, & poſt Galenum in primis impenderunt, quodque in Salernitana ſchola poſt principes rei medicamentariae & rerum ad apothecarios pertinentium ſcriptores, Nicolaum Praepoſitum diſpenſatoriorum & majoris, & minoris auctorem, Platearium, qui in Nicolai diſpenſatorium commentatus eſt, & Saladinum Aſculanum, inſtructionis aromatariorum auctorem, tantopere colebatur, vt medici, quod & Aegidii conſilium erat *o)*, omnem medicinam aliam, praeter medicamentorum ſcientiam, ad medicum non pertinere exiſtimarent omnesque libros, in quibus nulla medicamenta deſcripta eſſent, ad inutiles referrent, ſatis medico ad artis exercitium eſſe putantes medicamenta ſcire. Hinc libros etiam Galeni theoreticos omnes ignorabant, ſolo libello de arte, quem librum tegni vocabant, excepto: callebant vero de medicamentis omnes.

m) Aegidius Corbolienſis de coeli & ſoli Salernitani qualitatibus agens hos verſus habet: de virt. & laud. medicam. L. III. v. 488.

Sed

Sed medicinarum, ſibi quas montana miniſtrant,
Urbs jaculis armata viget: cum morte potenter
Dimicat: exſtirpat morbos et fata retundit caet.

n) Aegidius Libr. IV. v. 638.

Unde ſibi caveant Montani (Monſpelienſes) *pharmacopolae,*
Verboſi, vacui, fallaces Quinctiliani,
Quos facit artifices attritae frontis egeſtas,
Quos gula, quos ſtimulat et cogit avara doloſi
Ambitio nummi carmen ructare Salernum.

o) Aegid. Corbolienſ. de virtut. & laudib. medicam. in Leyſeri hiſtor. poetar. & poemat. medii aevi p. 503.

§. 426. Nicolaus, Praepoſitus dictus, quia forte reliquis in ſtudio Salernitano docentibus erat praepoſitus, ſaeculi XII ineuntis medicus, cum Nicolao Myrepſo (§. 360.) non permutandus, primus omnium diſpenſatorii ejus formae, quam noſtris adhuc temporibus diſpenſatoria habent, auctor extitit. Diſpenſatoria duo ſcripſit, alterum magnum, alterum parvum, quod morborum nomina & medicinarum ad eos enarrationem complectitur, adeoque in medicorum vſum compoſitum eſt. Diſpenſario vero magno, ad aromatarios ſcripto, quod adhuc ſupereſt, primus docuit apothecas ſuis temporibus extitiſſe praeceptaque dedit apothecae ita conſtituendae, vt & optimi generis medicamenta ſimplicia in ea contineantur, & apothecarii modum medicamenta ſimplicia colligendi, aſſervandi, ad vſum praeparandi, & compoſita conficiendi perſpectum haberent.

§. 427. Quod diſpenſarium quoniam primum eſt omnium, ad cujus normam omnia reliqua compoſita ſunt, de eo accuratius agendum ejusque argumentum enarrandum eſt, vt perſpiciatur, quaenam rei ad apothecas pertinentis his temporibus forma ac ratio fuerit. Prima primi libri parte medicinae ex vegetabili regno, quibus inſtructus eſſe apothecarius debet, exponuntur, radices, herbae, folia, flores, aquae deſtillatae ex plantis, ſemina, fructus, cortices, gummi, ſucci: deinde quae ex minerali regno & ex animali: poſtea aromata pretioſiora (droguas dixit) & laxativae medicinae ſimplices enarrantur, & haec quidem omnia alphabeti ordine & ita, vt ſimul enarretur, quonam modo ſingula colligenda, aſſervanda, praeparanda ſint, & quibus notis num effoeta ſint aut adulterata, cognoſcatur. Deinde de vaſis, quibus reponi debeant hae medicinae, praecipitur. Aurea, vel argentea auro obducta, aut porcellanea, aut vitrea auctor praefert reliquis. Deinde modi diverſi adulterandarum medicinarum & adulterationum cognoſcendarum exponuntur, & omnia quidem haec alphabeti ordine. Altera primi libri parte praeparationes ſimplicium medicinarum enarrantur, ablutio, aduſtio, excoriatio radicum ac ſeminum, extractio mucilaginis e radicibus & ſeminibus. Alter liber, qui compoſita, ſive antidotos complectitur, in duos partes diviſus eſt. Prima regulas

gulas componendorum medicamentorum & generales, & in ſingulis compoſitionum generibus obſervandas, complectitur. Harum vero compoſitarum medicinarum praecepta exponuntur: electuariorum alvum laxantium & non laxantium, opiatarum, trochiſcorum, looch, ſuffus, quod pulverum ſubtiliſſimorum genus erat, pulverum, conditorum, conſervarum, ſyruporum, pilularum, emplaſtrorum, ceratorum, vnguentorum, clyſterum, ſuppoſitoriorum, decoctionum. Eodem libro quoque de analogis medicinalibus, quando per ſe ponuntur, pro quibus propoſita ſint & quae eſſe ſupponantur, nec non de permutationibus medicinarum ſimplicium, ingredientium compoſitionem, ſive de quid pro quo, vt vocari talis permutatio ſolebat, tandem de ponderibus & menſuris agitur. Altera pars antidota a Nicolao Myrepſo (§. 360. 361.) & Meſue (§. 407) tradita complectitur, quae apud apothecarios Salernitanos, vt expreſſe Nicolaus *p*) memorat, non quidem erant vſualia, quibus tamen aliquos medicos vti magiſtraliter putabat. Liber tertius vocum difficilium expoſitionem in vſum pharmacopolarum continet.

p) Nicolaus Praepoſitus in diſpenſar. ad aromatarios Libr. II. part. II. proem. fol. 21. edit. Lugdunenſ. ab ann. 1538. in 4to.

§. 428. Quod diſpenſatorium Nicolai vtrumque et Saladini Aſculani diſpenſarium ad aromatarios

tarios dum lego, mirari ſummum ſtudium, quo hi auctores expoſuere omnia, quae apothecario ſcitu vtilia eſſe judicarunt, ſatis nequeo. Miror nefanda artificia adulterandarum atque ſubſtituendarum medicinarum his temporibus cognitiſſima et multitudinem conſiliorum ad has fraudes cognoſcendas ingenioſe et ita excogitatorum, vt vſum plurimum in rebus hujus generis medicos horum temporum habuiſſe appareat. Miror poenas, quibus qui in his fraudibus verſabantur, affecti ſunt. Sic, Saladino referente, Neapoli ab Arragonum rege apothecarius, qui carens albis corallis rubros combuſſit eosque hoc modo albos reddidit, etſi non regis apothecarius erat, in mille ducatorum poenam damnatus eſt *q*). Miror ſolertiam, quam in praeparandis et aſſervandis omnibus medicinis praecipiebant apothecariis, curamque in aquis deſtillatis conficiendis, quae vnica chemiae ad medicamenta ex vegetabilibus praeparanda his temporibus cognita ratio fuit. Aquarum deſtillationem in duplici vaſe, ponendo alembicum in balneo Mariae, jam Nicolaus *r*) docuit. Laudo denique ſummam in eligendo pharmacopola et in qualitatibus ejus deſcribendis circumſpectionem. Ut quietus, mitis et honeſtus eſſet, eum adeo vxorem ducere jubebant *s*).

q) Nicolaus Praepoſ. in diſpenſar. Libr. I. part. I. cap. 1. fol. 1.

r) Nico-

r) Nicolaus Praepoſ. in diſpenſar. Libr. I. part. I. cap. 6. fol. 3.

s) *Ultimo dico, quod aromatarius, dum eſt juvenis, debet vxorem ducere: quia, qui ſic fecerit, domabitur juventus ejus, et ſic erit quietus, mitis et honeſtus, et vacabit continuo facultati ſuae, imo delectabitur in ea, et ſic delectatio perficiet opus ejus cum laude et amicorum copia glorioſa.* Saladinus de Aſculo in compend. aromatarior. fol. 288. in Meſues operibus Venet. apud Junt. 1570. fol.

§. 429. Neapolis, Graeca civitas, ab antiquiſſimis temporibus ſcholas habuerat diverſarumque ſcientiarum doctores. Has in vnum & vniverſale ſtudium vt redigeret Fridericus II, Romanorum imperator & magnae partis Italiae dominus, anno MCCXXIV ſcholas Neapolitanas renovavit & in vnum quaſi collectis ſcholis Neapolitanis atque Siculis, vniverſale omnium literarum ſtudium Neapoli eſſe juſſit, ita tamen, vt Salerno medicinae docendae facultas maneret. Datis ſtipendiis ampliſſimis donariisque, magiſtros, quotquot exquirere poterat, conducebat. Theologos montis Caſinenſis monaſterium ſuppeditabat: medicinae etiam docendae magiſtri a condita ſtudiorum vniverſitate conſtituti ſunt. Sub perſonarum & rerum poena mandavit Fridericus, vt nullus ſcholaris legendi cauſa exire auderet extra regnum, nec in regno ipſo aliquis ſtudere literis easve docere auderet alibi, niſi Neapoli, aut, ſi medicus eſſet, Salerni *t*). Quod manda-

mandatum quidam procurator Terrae Laboris tam ſancte exſequutus eſt, vt etiam ſcholarum inferiorum magiſtris a docendis grammatices primis rudimentis interdiceret *u*).

t) Petr. de Vineis Libr. III. epiſt. 11. pag. 415. edit. quae Baſileae, anno 1566. prodiit.

u) Petr. de Vineis Libr. III. epiſt. 13. p. 419.

§. 430. Sed haec aliaque privilegia, quibus Fridericus Neapolitanum vniverſale ſtudium ornavit, Salernitanam ſcholam non tetigerunt: imo eis, qui medicinae Salerni ſtuduerant, poſt probatam medicinae ſcientiam coram medicorum in hac ſchola docentium collegio, medicinam exercere in terris Friderici imperio ſubjectis licebat, cum Neapolitanis candidatis poſt examina medicorum habita literae dandae eſſent ad regis vicarium, aut ad regem ipſum, a quo tandem medicorum dignitatem & medicinae exercendae licentiam impetrabant. Isque mos diverſus in medicinali ſtudio Salernitano atque vniverſali Neapolitano hodie adhuc locum habet.

§. 431. Medicinae vero atque medicorum dignitatem in primis auxit Fridericus, partim ſtudii medicinalis occaſione data in ſtudiorum vniverſitate Neapolitana, cum ante haec tempora medicina in medicinae ſtudio Salernitano tantum doceretur, partim anatomes ſtudio, quod incultum fere poſt Galenum jacuerat, inſtaurato: praecepit enim, vt quovis ſaltim quinquennio humanum

cada-

cadaver incideretur medicique & chirurgi diſſectioni intereſſent; ipſe quoque in anatome animalium optime verſatus erat *x*): partim etiam legibus medicinalibus datis, praeter Rogerii legem (§. 423.) primis omnium, ex quibus omnes leges medicinae & medicorum cauſa latae profluxerunt *y*). Hae legés & ſtudiorum medicinalium ordinandorum rationem continent, & ea comprehendunt, quae ad medicinalis artis exercitium ſpectant, nec non ea quae ad confectionarios, ſtationarios, ſive medicamenta & componentes, & divendentes.

x) In ejus reliquis de arte venandi cum avibus multa ad avium anatomen pertinentia occurrunt. vid. Haller. biblioth. anat. L. III. §. 113. pag. 140.

y) Conſtitutiones hae ad medicinam & ad medicos pertinentes leguntur in Friderici II conſtitutionum Neapolitanarum ſive Sicularum Libr. III. tit. 34. in P. Canciani barbarorum legibus antiquis, Tom. I. p. 367. 368.

§. 432. Medicinae ſtudia quod attinet, tyronem, prius quam ad medicinae ſtudium accedebat, logicae per triennium ſtudere oportebat, quo exacto ad medicinam tranſibat. Tempus quinque annorum ad medicinae ſtudia praeſcriptum erat, quo magiſtros audire debebant tyrones libros authenticos Hippocratis & Galeni interpretantes, & quidem tam ad theoreticam, quam ad practicam medicinae partem pertinentes. Quo facto non ad examina admittebantur, niſi per annum

num integrum cum consilio experti medici aegris medicinam feciſſent. His omnibus peractis tandem ad examina admittebantur, praesente officiali regio instituenda Salerni a medicinae magistris, iisque superatis jurejurando praestito pollicebantur, ipsos formam curiae (regia decreta ad medicos & rem medicam pertinentia) hactenus observatam servaturos: denunciaturos, si aliquis confectionarius medicamenta sua minus bene confecerit: tandem se pauperibus medicinam gratis facturos. His praestitis literis ad regem acceptis Neapolitani praxeos libertatem a rege impetrabant. Nullique licuit medicinam exercere in omnibus terris imperii Romani, nisi Salerni, aut Neapoli probato. Unde & in Germania multi medici, qui in Salernitana schola, aut Neapolitano studio medicinam didicerant & scientiam probaverant, extiterunt, medendi morbis immunitatem habentes z). Et hae quidem constitutiones Doctorum in medicina dignitati & academicis, quos dicunt, gradibus prima initia dederunt. Friderici enim temporibus ii tantum doctores vocabantur, qui scientias docebant: magistri vero in physica, qua voce medicinam medium aevum expressit, vocabantur, & qui medicinam docebant, & qui post artis scientiae in examinibus documenta data probaverant, se libertate praxin medicam exercendi indignos haud esse *a*).

z) vid.

z) vid. Moehſen, V Illuſtr. opus praeſtantiſſimum: *Geſchichte der Wiſſenſchaften in der Mark Brandenburg, beſonders der Arzneywiſſenſchaft, von den älteſten Zeiten an, bis zu Ende des ſechzehnten Jahrhunderts.* Berol. 1781. 4. Period. II. §. 26. pag. 297. ſeq.

a) vid. quae hac de re differui in ſtudii medici Salernitani hiſtoria pag. 75 ſeq.

§. 433. Ad medicos hae leges ſpectabant: Qui aegris medicinam faciebat a rege non approbatus, bonis publicatis annua carceris poena culpam luebat. Aegros ad minimum bis die viſitare medicum oportebat, aegroque requirente, ſemel nocte: legeque conſtitutum erat quantam pecuniae ſummam medico pro ſingulis viſitationibus ab aegro poſtulare liceret. Nullam ſocietatem cum confectionariis medico inire licebat, neque proprias habere ſtationes, ſive apothecas. Salerni vel Neapoli in medicina legere vel magiſtri nomen aſſumere non licebat, niſi diligenter examinatis in praeſentia officialium regis & magiſtrorum artis ejusdem. Neque, niſi Salerni & Neapoli, in medicina & chirurgia legere licebat.

§. 434. Duos viros circumſpectos & fide dignos, corporali ſacramento adſtrictos, confectioni electuariorum & ſyruporum (ob mel, quod nocivas habere qualitates putabatur, ſacchari loco ad haec medicinarum genera electum *b)* ac aliarum medicinarum intereſſe oportebat: Salerni vero confectiones per magiſtros in phyſica appro-

bandae erant. Ipſi confectionarii jure jurando obligati erant, vt confectiones ſecundum praedictam formam (diſpenſatorii nempe) & qualitatem medicamentorum artis lege fideliter conficerent. In eos, qui contra faciebant, publicatione bonorum mobilium animadvertebatur: in ordinatos vero ad confectiones, fraudis in mandato ipſis officio reos, capitis ſupplicio. Confectiones praeparare confectionarium ſuis expenſis oportebat, neque confectiones venum proſtantes habere, niſi jure jurando probaſſet, ſe omnes ſecundum diſpenſatorii juſſa & ſine fraude paraſſe: neque quid lucraretur confectionarius de confectionibus ab ipſo paratis ſuae voluntati commiſſum erat, ſed lege conſtitutum, quid emolumenti a quoque confectionum genere legitimum eſſet. Apothecae autem non vbique in regno, neque in omnibus, ſed in certis tantum civitatibus extabant.

b) Aegid. Corbolienſ. L. II. v. 898. apud Leyſer. p. 573. cf. hiſtor. ſtudii medic. Salernitan. p. 59.

§. 435. Chirurgiae proſpexit Fridericus, lege data, vt nullus chirurgicus ad practicum admitteretur, niſi teſtimoniales literas obtulerit magiſtrorum in medicinali facultate legentium, quod per annum ſaltim in ea medicinae parte ſtuduerit, quae chirurgiae inſtruit facultatem, & praeſertim anatomen humanorum corporum didicerit, ſine qua, vt recte monuit optimus Imperator, nec inciſiones ſalubriter fieri poſſunt, nec factae curari.

vari. Tulit etiam Salernum chirurgos horum temporum celeberrimos, Rogerium, Brunonem, Lanfrancum, Mediolanenſem, qui Salerni medicinam & chirurgiam didicerat, & in patriam poſtea reverſus *practicam ſuam, quae dicitur ars completa totius chirurgiae*, ex Arabum in primis libris compoſuit. Pulſus patria cum conjuge liberisque anno MCCXCV Pariſium adiit. In facultatem medicorum cum recipi non poſſet, quoniam peregrinus erat & in conjugio vivebat, lex enim erat vt facultatum ſocii vitam, monachorum more, coelibem agerent, cum Joanne Pitardo, Ludovici Sancti & Philippi Pulchri chirurgo, fraternitatem iniit, Coſmam & Damianum patronos habentem pauperumque valetudinem gratis curantem. Chirurgi huic ſocietati adſcripti ob togam, doctorali ſimilem, togati (*chirurgiens de la robe longue*) appellabantur *c*).

c) Corte notize iſtoriche intorno a medici ſcrittori Milaneſi. Milano 1718. p. 15.

§. 436. Medicos vero tulit Salernum ad ſaeculi vſque XVI initia Trotulam, quae auctor libri de morbis mulierum eſſe dicitur, Cuffonem, quem Lanfrancus Plateario antiquiorem facit *d*), Joannem de Sancto Paulo *e*), Joannem de Procida, veſperae Siculae famoſum auctorem *f*), Matthaeum Silvaticum, Mantuanum, pandectarum medicinae, quae adhuc extant & in quibus interpretatio obſcurarum vocum in libris Arabum latine

verſis & Arabiſtarum continetur, quique ſe anno MCCXCVII Salerni eſſe verſatum ipſe teſtatur *g*), Joannem Nicolaum, Joannem Vincentium & Joannem Vitum de Rogeriis, Franciſcum Alphanum de Salerno, Benvenutum Graffionem de Hieruſalem, vt reliquos omittam, quos in hiſtoria ſtudii Salernitani dixi *h*).

d) Lanfranc. in art. complet. chirurg. doctr. I. tr. III. cap. 6.

e) Lanfranc. ibid.

f) Mazza cap. 6. p. 22.

g) *Et ego vidi bruculos* (locuſtarum genus) *Salerni anno dominicae incarnationis* 1297. Matth. Silvatic. pandect. medic. ſ. voc. *bruculus.*

h) pag. 88. ſeq.

MEDICINAE RECENTIORIS PERIODUS V.

Medicina Arabiſtarum.

CAPUT XXXII.

Medicina Saracenorum per Arabiſtas in Europam translata.

§. 437.

Etſi quidem Salernitani ad Conſtantini Africani vſque tempora Graecorum inprimis medicinam tractaſſe atque docuiſſe videntur, Arabum tamen etiam medicinam per Conſtantinum acceperunt eamque profeſſi ſunt, non tamen ita, vt huic tantum

tantum inhiantes Graecorum placita negligerent: ipſa enim lege Friderici II praeceptum erat, vt magiſtri in phyſica Salernitani & Neapolitani non Arabes, ſed authenticos libros Hippocratis & Galeni interpretarentur (§. 432.). Quae lex ſequenti tempore ita mutata eſt, vt praeter hos Graecos Avicennam etiam Salernitani exponerent *i*). Et tamen licet hoc Salerni & Neapoli eſſe factum dubitari non poſſit, & in vtrumque ſtudium multi ex vniverſa Europa & ex oriente adeo medicinalis ſcientiae diſcendae cauſa confluerent, Graecorum medicina in vniverſa Europa vſque ad ſaeculum medium XV inculta & extincta quaſi jacuit, Arabum vero medicina, quae ſola & docebatur, & exercebatur, ita viguit, vt ex libris tegni (§. 425.) Galeni, ſive, vt eum vocabant, Galieni tyrones quidem prima medicinae praecepta haurirent, Arabes vero medici principes in vniverſa ſcientia medica viri eſſe putarentur. Hinc in Arabiſtis idem, qui in Arabibus hiſtoriae morborum & evidentium cauſarum neglectus: idem abditarum cauſarum ex quatuor humorum genere & quatuor qualitatibus ſtudium: eadem omnium, quae in ſingulis morbis mutata ſunt, ex quatuor qualitatibus & quatuor humoribus explicatio: eadem medicinarum multitudo, eadem forma & ratio: idem compilationis ſtudium, idem adeo dicendi genus. Arabes enim ſummum medicae doctrinae exemplum exhibuiſſe,

quod vel e longinquo ſequi ſumma laus eſſet, horum temporum communis erat opinio.

i) Ant. Mazza in vrb. Salernit. hiſtor. & antiquit. c. 9. in theſaur. antiq. & hiſtoriar. Italiae Graevio-Burmann. T. IX. p. IV. p. 68. 69.

§. 438. Facilior itaque fuerit occaſio medicinae Arabum per Europam propagandae, quam Graecorum, neceſſe eſt. Eam ſuppeditarunt Saraceni Hiſpaniam tenentes aliasque provincias, ad quos Europaei reliqui, cum alia occaſio nulla eſſet, medicinae, philoſophiae, aſtrologiae, in qua principes eſſe orientales antiqua fama erat, diſcendae cauſa conveniebant. Hi vero magiſtros ſuos intelligere non poterant, niſi Arabum linguam callerent: idque effecit, vt Arabum ſermo per Europam vulgatior fieret. Judaei, quibus cum Saracenis vivere licebat, qui adeo Sorae, quod Aſiae oppidum eſt, academiam habebant, medicorum officio in Europae regionibus omnibus fungebantur: libri vero eorum medicinales aut Hebraico idiomate, aut Arabico, aut Syriaco, aut Rabbinico, verbo orientali ſermone, conſcripti erant. Cruce ſignatorum expeditiones Arabicam, Syriacam linguam etiam inter Europaeos pervulgarunt, his enim Europaeos, ob crebra cum Saracenis in oriente colloquia, carere non potuiſſe, ſatis credibile eſt *k*). Morbi calidis regionibus proprii, epidemici, qui non raro inter ſignatos cruce ſtragem maximam ediderunt,

derunt, morbi cutanei, quibus in his terris Europaei exercebantur, lepra, quae cum cruce ſignatis in Europam redeuntibus Galliam, Angliam Italiam maxima vi invaſit, medicinae neceſſitatem incutiebant, & quidem ejus, quae medelae horum morborum praecepta traderet, adeoque orientalis atque Saracenicae. Et etſi quidem neque Siciliam, neque Italiae particulam, quam occupaverant, Saraceni diu tenuere, neque ex Sicilia adeo in vicinam Salernum Arabum medicina tranſiit, tenuere tamen Aegyptum orientisque terras alias, quae mercaturam plurimam cum Italia habebant. Ex his regionibus cultus, doctrina Saracenorum continuo in Italiam defluxerunt, neque ex interpretibus Arabum, quorum copiam haec tempora maximam tulerunt, multi ſunt, qui non Italiam aut Hiſpaniam pro patria agnoſcerent, & maxime quidem Italiam. Unde patet, Italis crebriorem & magis continuam medicinae Saracenorum occaſionem fuiſſe, quam Hiſpanis aliisque gentibus.

k) vid. Jo. Matth. Schroeckh, V. Illuſtr. comment. de vtilitate expeditionum cruciatar. Viteb. 1776. 4. Sect. I. §. 8. pag. 29.

§. 439. Ad Graecos adeo, imbelle hominum genus atque effoetum, ſcientia medicinae Saracenorum redierat, & Zachariae filium, Actuarium, multa ex Arabibus hauſta propoſuiſſe ſupra (§. 342.) retuli. Hi ſua latinis communicantes

Arabum medicinam, Graecorum medicinae admixtam, ad eos, quorum intererat talia ſcire, transferre facile potuerunt. Non defuere itaque viae, per quas Arabum medicina in Europa talis evadere potuit, qualis facta eſt, celebratiſſima nempe omnium, in cujus interpretatione elapſo demum ſaeculo Guernerus Rolfincius deſierit.

§. 440. Arabiſtarum vero, ſeu eorum medicorum, qui in medicina docenda atque exercenda Arabes ſequuti ſunt (latino-barbaros alii dixere), quorumque tempora, ſi Conſtantinum Africanum, qui primus verſiones ex Arabica in latinam linguam conficere inſtituit, ad eos refers, ab altera ſaeculi XI parte incipiunt, genus duplex fuit. Alii in vertendis Arabum libris in latinam linguam verſati ſunt, idque genus, quod ad medicinae incrementa nihil contulit, niſi quod Arabes medicos latinitate, eaque & pro ſaeculi ingenio, & linguae Arabicae ignorantia, peſſima & ſemiarabica donavit *l*), lubens praetereo. Alterum genus in exercenda medicina & libris medicinalibus ſcribendis occupatum erat. Arabes quidem imitabatur, neque alium ordinem atque ſcribendi formam, quam Arabibus vſitatam, ſervabat, neque aliam theoriam docebat, quam Galenico-Arabicam: propria tamen quaedam et priſcis non dicta ſuis compilationibus et contemplationibus intexuit.

l) cf. Freind in hiſt. medic. p. 289. 290.

§. 441.

§. 441 Hinc in ea medicinae parte, quae morbos cognoſcere & curare docet, multa nova inveniſſe aut excogitaſſe Arabiſtas non exiſtimandum eſt, neque adeo ſemper coepta ab Arabibus continuaſſe. Addiderunt interdum his, quae congeſſerant, quaedam, quae in Arabibus, quos legendi nobis facultas eſt, quidem non reperiuntur, forte tamen ab aliis, qui in bibliothecis latent, dicta eſſe potuere. Lepram, elephantiaſin & reliquas hujus morbi ſpecies multi eorum deſcripſerunt, & quaedam dictis de hoc morbo ab Arabibus addiderunt *m*).

m) vid. Hensler, V. Ill. *vom abendländiſchen Ausſatze im Mittelalter*. Hamb. 1790. 8.

§. 442. Sequutos eſſe Arabiſtas in morborum originibus explicandis Arabes, jam retuli. Attamen eos ſi in vlla re, in hoc tamen ſuperarunt, vt eorum quidem theoriam omnem haberent veriſſimam, externas vero morborum cauſas ab aſtrorum influxu deducerent, quod in morbis per populum graſſantibus inprimis fecerunt, & in quo eos etiam medici poſt reſtauratam Graecorum medicinam ex parte ſaltim ſequuti ſunt. Aſtrologiae ſtudium, quod ex Arabia in Europam prius deveniſſe videtur, quam reliquae ſcientiae, quodque minus in Arabum medicinam, quam in res eorum publicas domeſticasque influxerat, medicinae primum Arabiſtae intulere, & cum eventus varios ex aſtrorum influxu explicare ab Arabibus

fuiſſent edocti, ſucceſſiones morborum, popularium praeſertim, eorumque origines externas hi primi ex aſtrorum conjunctionibus adverſove poſitu explicaverunt eoque modo effecerunt, vt naturales horum morborum atque inquilinae cauſae demum cognoſcerentur, poſtquam vſus docuerat eos eadem cauſa agente ſub cujusque ſideris adſpectu oriri.

§. 443. Haec vero laudis particula iis non adimenda eſt, quam perficienda apothecariorum arte, diſpenſatoriis concinnandis, & proponendis praeceptis in collectione, aſſervatione, praeparatione, compoſitione, diſpenſatione medicamentorum obſervandis meruere. Ad nobiliores hinc Arabiſtas, qui in hac artis medicae parte inclaruerunt, pertinuiſſe exiſtimandum eſt, praeter jam dictos Nicolaum, Platearium, Aegidium Corbolienſem, Saladinum Aſculanum, Petrum Hiſpanum, ſub Joannis XXI vel XXII nomine poſtea Romanorum pontificem, libri, qui theſaurus pauperum inſcribitur, auctorem, Dinum de Garbo, expoſitionum ſuper canones generales de virtutibus ſimplicium medicamentorum Avicennae auctorem, Chriſtophorum Georgium de Honeſtis, commentariorum in Meſues libros de ſolutivis aliisque remediis compoſitis auctorem, Bartholomaeum Montagnanam, librorumque auctores, qui herbarii & ortuli ſanitatis titulo prodierunt.

§. 444.

§. 444. Caeteri Arabiſtae omnes cum Galenum & Arabes duces ſequuti ſint, atque ſaeculis vixerint, quibus eruditio omnis deleta, ſaltim extra monaſteria, videbatur, vix multa propria proferre potuere: hinc quoque eos tantum enarrabo, quos majore doctrina, pro ſaeculi more, floruiſſe conſtat. Rogerius Baco, prope Ilceſtriam Angliae anno MCCXIV natus, poſtquam Oxonii ſtudia inceperat, Lutetiae continuaverat, primus inter Anglos mathematices, aſtronomiae, optices praeſertim, chemiae & medicinae auctor extitit. Chemiam auri conficiendi cauſa coluit, & operationes chemicas plerasque, quae hodie in vſu ſunt, cognitas habuit. Auri tincturam, oſſa, quae in corde cervi reperiuntur, ad longaevitatem commendavit *n*).

n) vid. de eo & permultis, quae in phyſica & optica cognita jam habuit, Freind in hiſtor. medic. p. 287. ſeq.

§. 445. Petrus de Abano, ſive de Apono, a patria ita dictus, qui anno MCCL vivere coepit, vir inter Arabiſtas horum temporum doctiſſimus extitit. Graeciam petiit, Graecorum ſermonis diſcendi cauſa, dein Pariſiis mathematicae, aſtrologiae, phyſiognomiae, chiromantiae, geomantiae, medicinae ſtuduit, poſtea in vniverſitate Patavina magiſter in phyſica factus. Tandem cum Bononiae medicinae exercitio quaeſtum feciſſet atque in magicarum artium ſuſpicionem incidiſſet, excommunicatus & in excommunica-

tione

tione fato functus est, quam ob causam ad ignis supplicium post mortem damnati effigies cremata publice dicitur. Scripsit libros ad astrologiam & venenorum scientiam pertinentes. Maxime claruit libro, quem conciliatoris differentiarum, quae inter philosophos & medicos versantur, titulo anno MCCCIII scripsit, in quo diversas medicorum Graecorum, Galeni & Arabum sententias persequutus est *o*). Idem Mesues (§. 407.) librum de aegritudinibus capitis & pectoris ad pedes vsque deduxit.

o) Vitam ejus scripsit nuper Grunerus, V. Illustr. in libro: *Almanach für Aerzte und Nichtärzte.* 1789. pag. 173.

§. 446. Arnaldus de Villanova, celeberimus suorum temporum medicus, alchymista, practicus, Symphoriano Campegio *p*) teste, anno MCCC natus & anno MCCCLXIII fato functus, Parisiis primum medicinae studuit, deinde post decem annos in hac vniversitate studiorum peractos, Monspelienses medicos audivit, inde Italiam, ad Pythagoreos philosophos audiendos concessit. Hebraicam, Graecam, Latinam linguam calluit, & medicinae laude tanta floruit, vt & a Friderico, Siciliae rege, in magno honore haberetur, & ab eodem ad pontificem Romanum sanandum mitteretur, in quo itinere mortuus est. Referendus est quodam modo ad Salernitanos medicos, quod & Salerni domino serviebat, & commentarium, qui anti-

antiquiſſimus & celebratiſſimus omnium eſt, in regimen ſanitatis Salerni conſcripſit. Scripſit etiam commentarios in Galeni libellum de mala complexione & in Hippocratis aphoriſmos quosdam, in quo librorum genere primus inter Arabiſtas extitit. Ab alchymiſtis noſtro adhuc tempore cultus atque quaeſitus, in theoria & praxi medica Saracenos ſequutus eſt, quos adeo in Hiſpania audiviſſe dicitur *q*). Lepram, morbum frequentem ſuis temporibus, accurate deſcripſit, libello de ſignis leproſorum edito. De diaeta, tam in morborum omnium genere, quam inprimis ſanorum, cui, Arabum & ſcholae Salernitanae exemplis ducti, Arabiſtae permulti operam peculiarem impendebant, libros ſcripſit, quos aevum ejus magni aeſtimabat. In his regimen ſanitatis ad Arragoniae regem, alius liber, ſimplici regiminis ſanitatis titulo editus, libellus de regimine caſtra ſequentium & libellus de retardanda ſenectute eminent. Scripſit quoque libros de muliebribus affectibus, multaque de ornatu mulierum tradidit. In rebus ad theologorum doctrinas pertinentibus aliter ſenſit, quam ſaeculi indoles ferre volebat: inde, quod in odium monachorum & clericorum incidit, multa paſſus eſt.

p) Symph. Campegius in vita Arnaldi, quae praefixa legitur operibus Arnaldi, cap. 1. cf. meam ſtudii medici Salernitani hiſtor. p. 101.

q) Freind in hiſt. medic. p. 292.

§. 447.

§. 447. Ad eadem tempora pertinent Albertus Magnus, Germanus, magicis & vanis rebus inhaerens, libelli famoſi de ſecretis mulierum auctor, Simon Januenſis, qui Nicolai IV pontificis Romanorum capellanus extitit, onomaſtici medicinarum auctor, Bernhardus de Gordonio, Monſpelienſis medicinae profeſſor, lilii medicinae, quod anno MCCCV ſcripſit, auctor, in quo morborum curationem ad Arabum mentem perſequutus eſt, Dinus de Garbo, Avicennae interpres, Nicolaus Bertruccius, qui anno MCCCXII floruit, collectorum totius medicinae compilator, Gilbertus Anglicanus, Alexandri Tralliani, Rhaſis, Averrhois epitomator, qui ſaeculo XIII aut XIV vixit, Johannes de Gaddesden, Roſae Anglicae, quam ex Arabibus compilavit, auctor, philologus, poeta, aſtrologus, rebus magicis inhaerens & opibus corradendis inhians, Thaddaeus Florentinus, regiminis ſanitatis & commentariorum in Galenum de arte parva, nec non in Hippocratis aphoriſmos, prognoſticum, librum de diaeta acutorum & Johannitii iſagogen auctor, Gentilis de Fulgineo, Thaddaei auditor, Galeni, Avicennae interpres, Jacobus de Dondis, aggregator Patavinus dictus, promptuarii medicinae, ex Arabibus hauſti, auctor, Bartholomaeus Glanville, qui in libro, de proprietatibus rerum quae ad medicinam pertinent, ex Conſtantino Africano hauſit, Voleſcus de Taranta, philonii pharmaceutici auctor,

auctor, in quo morborum cognitionem & curationem perſequutus eſt, Jacobus de Forolivio, Hugo Bentius, Senenſis, expoſitionum in Hippocratis aphoriſmos, Galenum & Avicennam auctores.

§. 448. Chirurgia aliquanto clarius, recte monentibus Freindio *r*) & Hallero *s*), his temporibus enituit. At nocuit arti, quod omnis linguarum cognitio his temporibus apud clericos erat, quos ipſos lex ſaeculi XII & concilii Turneſienſis anno MCLXIII a ſanguinis effuſione quacunque prohibebat, donec Bonifacius VIII, pontifex Romanus, eos juſſit penitus a chirurgia abſtinere. Sed idem concilii dicti decretum aliaque decreta conciliorum, quae enarravit Moehſen, vir illuſtris *t*), quibusque omnibus clericis monachisque medicina omni exercenda interdicebatur, vt adeo ab Honorio III, Romanorum pontifice, omnes clerici excommunicarentur, qui medicinae vel ſtuderent, vel eam exercerent, effecere, vt laici, qui medicinae atque chirurgiae operam dabant, majorem occaſionem haberent & adminiſtrandi chirurgiam, & proprias obſervationes inſtituendi. Hinc cum in medicorum libris, qui his temporibus ſcripti ſunt, appareat, auctores eorum Arabes & Galenum deſcripſiſſe, chirurgi quidem etiam genium atque indolem temporum ſequuti ſunt, attamen multa propria iis immiſcuerunt, quae a Galeno, Albucaſi aliisque Arabibus

dicta

dicta corraſerant. Sic etſi Arabes exſcripſit Rogerius Salernitanus (§. 435.), ad propriam tamen experientiam ſubinde provocat. Eodem modo in chirurgia ſcribenda verſati ſunt Brunus & Theodoricus, ita tamen, vt, cum Brunus Arabes exſcripſiſſet, Theodoricus Bruno eodem modo vteretur, multa tamen, quae vſus eum docuerat, inſpergeret.

r) Freind hiſtor. medic. p. 307.

s) Haller biblioth. chirurg. L. III. Tom. I. p. 143.

t) Moehſen *Geſchichte der Wiſſenſchaften, beſonders der Arzneywiſſenſchaft.* Period. II. §. 26. p. 296. ſeq. (Nic. Riegels) de fatis fauſtis & infauſtis chirurgiae commentat. Hafn. 1788. 8. §. 14. p. 260. ſeq.

§. 449. Gulielmus de Saliceto, qui anno MCCLXX fato functus eſt, pleraque quidem ex Albucaſi aliisque mutuatus eſt, attamen ipſe profeſſus eſt, chirurgiam ex aliorum libris perdiſci non poſſe, ſed opus eſſe, vt, qui eam recte cognoſcere velit, operationes videat ipſe praeſtetque. Sarcoceles curationem exactiorem primus tradidit. Cauteria, Albucaſis auctoritate ductus, frequenter in morbis externis ſanandis adhibuit. Eum, et quidem non nominatum, penitus exſcripſiſſe Lanfrancum (§. 435.), Freindius auctor eſt *u*).

u) Freind hiſtor. medic. pag. 312.

§. 450. Guido de Cauliaco chirurgicum opus ſuum anno MCCCLXIII ſcripſit, quod per aliquot ſaecula,

ſaecula, potiſſimum in Gallia, claſſici operis locum tenuit. Legerat omnes fere libros Guido, qui ſuo tempore extabant, Galenum, Arabes, recentiores. Deinde ad quamcunque curationem, quoties ſcriptores diſſentiebant, ſententiam cujuscunque expoſuit ſuamque addidit: hinc fere chirurgicum opus ejus compendii eorum loco habendum eſt, quae ante ejus tempora in chirurgia ſcripta fuerant. Ipſe quoque maſculam chirurgiam atque efficacem adhibuit, & etſi adminiſtrationes difficiles chirurgicas non attigit, calculi ſectionem, cataractae curationem, reliqua, tamen trepano, aliis inſtrumentis, & generoſioribus medicamentis vſus eſt, cum chirurgi ante eum fere omnia per medicamenta, incantationes, invocationes ſanctorum, caet. corrigere tentaſſent *x*).

x) Propria, quae habet, excerpſerunt Freind hiſt. medic. pag. 312. Haller biblioth. chirurg. L. III. §. 83. Tom. I. p. 157.

MEDICINAE RECENTIORIS PERIODUS VI.

Medicinae Galeni et Hippocratis reſtauratae per Europam prima initia.

CAPUT XXXIII.

De his, quae ad medicinam Graecorum reſtaurandam contulerint.

§. 451.

Non deſiiſſe penitus verioris & a contemplationum ſordibus purgatae medicinae ſtudia in Italia;

lectum esse Hippocratem, Galenum, Caelium Aurelianum, quorum codices extabant in eadem provincia, temporibus, quibus nulla adhuc medicorum schola extabat (§. 417.); traditam fuisse Salerni, ante Constantini Africani tempora, medicinam non Saracenorum, sed Graecorum, Hippocratis & Galeni, neque doceri potuisse Salerni primis post scholam medicam in hac vrbe conditam temporibus medicinam Arabum, quae quippe nondum extabat perfectior; Constantinum Africanum Haly quidem Abbatis & aliorum quorundam Arabum medicinales libros in Italiam & in latinam linguam transtulisse, attamen & Graecis fuisse vsum, & his in primis quidem; primam adeo, quae ad nos pervenit, aphorismorum Hippocratis versionem in latinam linguam a Constantino esse profectam eumque aliis quoque Graecis & latinis medicis vsum fuisse, supra (§. 420. 421.) probavimus. Probavimus quoque ex lege, a Friderico II, Romanorum imperatore, studii medici Salernitani, vniversitatis Neapolitanae & medicorum ac medicinae causa data, Hippocratis & Galeni authenticos libros eos fuisse, qui a magistris in medicina praelegi in scholis atque explicari solebant (§. 432.).

§. 452. Galeni medicina ad Arabes, ab his ad Arabistas transierat, ab vtraque gente non multum mutata. Hinc quam Arabistae acceperunt, medicina, non Arabum genti propria, sed Galeni

&

& Graecorum fuit. Hanc quidem maxime ex Arabibus hauſerunt Arabiſtae, Arabes etiam imitantes in omnibus, vt quidam adeo inter eos extent, qui, vt Arabes eo exactius adſequuti viderentur, formulas adeo, quae in ſcribendo a Mohammedanis tantum obſervari ſolent, imitati fuerint, tamen, cum ingenium Arabicae medicinae id erat, vt in compilatione verſaretur, id quoque ſequuti ſunt. Compilarunt ſua ex Arabibus quidem maxime: & cum Arabes Hippocratem & Galenum magni feciſſent, pluresque Arabiſtarum in terris viverent, in quibus ſermonis Graeci cognitionem adſequi non difficile erat, Graeci fontes iterum legi ſenſim atque explicari coepti ſunt.

§. 453. Pertinent ad hos, qui Graecis vſi ſunt, praeter Rogerium (§. 435.), Theodoricus (§. 448), qui Hippocratem, Galenum, Alexandrum Trallianum legit, Petrus de Creſcentiis, anno MCCXXX natus *y*), qui, libris XII ruralium commodorum ſcriptis, Varronem, Columellam, Palladium, Geoponicos Graecos non ſolum ſe legiſſe probavit, ſed multa quoque loca ex iis adduxit, Petrus Hiſpanus (§. 443.), commentariorum in artem parvam Galeni, in Hippocratis prognoſticon, Philaretum de pulſibus, Theophilum de vrinis auctor, Jacobus de Partibus, qui gloſſarium in Alexandri practicam ſcripſit, Gerardus Carmonenſis, Hiſpanus, verſionibus latinis Arabum

medicorum celeberrimus, gloſſularum ſuper Hippocratis prognoſticon auctor, Turriſanus de Turriſaniis, commentarii in Galenum de arte parva auctor, Petrus de Apono (§. 445.), Matthaeus Silvaticus (§. 436.), Thaddaeus Florentinus (§. 447.), Gentilis de Fulgineo (§. 447.), Arnaldus Villanovanus (§. 446.), Thomas de Garbo, libri Galeni de febrium differentiis interpres, Galeacius de Sancta Sophia, libelli introductorii in parvam artem Galeni auctor, Nicolaus de Anglia, commentariorum in Galenum de elementis, de criſibus & de facultatibus naturalibus auctor, Jacobus de Forolivio (§. 447.), Joannes Sermoneta, quaeſtionum ſubtiliſſimarum ſuper librum aphoriſmorum & ſuper librum tegni auctor, Hugo Bentius, Senenſis, Michael Savanarola, prognoſticorum ex Hippocrate collector.

y) Haller biblioth. botan. Tom. I. p. 225.

§. 454. Hoc modo jam inter Arabiſtas medicinalis ſcientia ſenſim ita dilatata eſt, vt fontes, ex quibus medicinae cognitio haurienda eſſet, non ſolis Arabum libris comprehendi intelligeretur. Interpretati quidem Arabiſtae, quos enarravi, Graecos ita ſunt, vt loca difficilia neque expedirent, neque quae obſervaverant docuerantque antiquiores, aut confirmarent nova obſervatione, aut illuſtrarent, aut confutarent: ſed ſecundum Arabum ſyſtema (§. 384—399.) potius

potius eos interpretati ſunt, ita vt, quidquid erat obſervationis in Hippocrate, per ratiocinia Galenico-Saracenica, & quidquid contemplationis in Galeno, per Arabum verboſiores definitiones & diſtinctiones illuſtrarent.

§. 455. Miſera ſors, ad quam imperium Conſtantinopolitanum ſenſim adactum eſt, crebri barbarorum inſultus, provinciae per eos direptae, lites de rebus ad religionem pertinentibus, perſecutiones, quae ab his abeſſe nunquam ſolent, effecere, vt Graecorum non pauci, relicta Conſtantinopoli & provinciis Conſtantinopolitano imperio ſubjectis, in Italiam confugerent. Expugnata denique a Turcis Conſtantinopoli multi Graeci, & pro ſaeculi ingenio literati viri, in aliis Europae partibus incolumitatem & vitae praeſidia quaeſiverunt. Artes & ſcientiae Graecorum cum his in reliquam Europam, Italiam praeſertim, translatae: Graecorum ſermo in Europa reliqua vulgatior factus. Nunc Graeci codices ſenſim conquiſiti lectique: nunc Graecorum ſcriptorum in latinam linguam verſiones confici coeptae.

§. 456. Contulit ad priſcam doctrinae omnis & medicinae formam inſtaurandam typographica ars, his temporibus inventa, mox pervulgata & ad eum perfectionis gradum provecta, ad quem alias artes tam brevi temporis ſpatio non perveniſſe hiſtoriae docent. Et licet etiam in initiis

typographicae artis non ſtatim priſcorum librorum exempla multiplicata fuerint, neque mox editi ſint Graeci, Graece exſcripti: tamen Arabiſtarum ex Arabico verſiones antiquorum medicorum & verſiones quaedam librorum medicinalium ex Graeco factae mox typis mandatae ſunt. Latini medici & alii latini ſcriptores ad medicinam pertinentes non longo poſt inventam artem typographicam temporis intervallo typis exſcripti ſunt, Plinius, Cornelius Celſus.

§. 457. Hanc omnia (§. 451—455.), in primis vero exempla librorum typis exſcriptorum multiplicata, & opera, quae Hippocratis, Galeni libris typis exſcribendis exeunte ſaeculo XV impenſa eſt, effecerunt, vt non ad ſolum Galenum, non ad ſolos Arabes & Arabiſtas legendos medici impellerentur, ſed vt alios quoque medicos legerent, diſcerentque, quod hactenus ignoraviſſe erant viſi, alia adhuc dari medicinae ſyſtemata, alias doctrinas, aliasque medicinae & diſcendae, & exercendae vias, praeter eas, quas vnicas & vnice veras eſſe hactenus fuerant arbitrati. Nunc ſenſim, Hippocrate praeſertim duce, obſervationum ſtudium iterum agitari coeptum, eademque ratione contemplationes non deletae quidem ſunt, vis tamen, quam in practica medicina habuerant, ſenſim minuta eſt.

§. 458. Cauſas externas vniverſales morbos non raro producere, nunc demum recte intellectum

ctum eſt. Cum vero aſtrorum poſituram in humanam vitam omniaque, quae in orbe terrarum eveniunt, influere antiqua, praeſertim per orientales populos Saracenosque agitata eſſet opinio, morborum omnium, inprimis popularium, ratio ab infeſto ſiderum influxu deduci ſenſim & primum quidem (quod mirandum eſt, quod Arabes aſtronomiam aſtrologiae praeſertim cauſa colebant) per Arabiſtas & Neo-Graecos coepit. Nunc non tantum quae nova in morbis accidebant & prius non viſa, ſed vulgaria quoque planetarum concurſui aſtrorumque conflictui adſcribi ſolebant: inde mutata ſenſim τῆς αἰτιολογικῆς in medicina facies & ratio: inde verae morborum origines neglectae, ideoque etiam medelae aut non, aut difficillime, nec ſine praegreſſis mortibus plurimorum, quaeſitae.

§. 459. Incitarunt ad medicinae ſtudia, quae reſtaurari coeperant, novi morbi, qui his temporibus Europam invadebant. Anglicus ſudor, qui anno MCDLXXXIII in exercitu Henrici VIII ſaevire coepit, & ante medium ſaeculum decimum ſextum iterum plane deſiit, ſtragemque ſummam, talemque edidit, vt pugnaretur quidem arte medendi, exitium vero opem ſuperaret. Venereus morbus, quem alii anno MCDXCIII in Europam ex Indiae occidentalis inſulis translatum eſſe in Hiſpaniam per Chriſtophori Columbi ſocios exiſtimant z), alii antiquiorem (leprae for-

ſan progeniem) eſſe, & his temporibus homines intenſiore vi exercere coepiſſe exiſtimare videntur *a*), petechiae, antiquus morbus, Hippocrati jam notus, quae anno MDI in Italia iterum viſae ſunt. Dira ſymptomata, quae venereo praeſertim morbo juncta erant, mortes ab eo inter atrociſſimos cruciatus creberrimae, plures, vt de eo ſcriberent, incitarunt, quibusdam adeo morbum proprium, quaeque ipſi paſſi fuerant peſſima quaeque, ignorata foeda cauſa, deſcribentibus *b*). Hic in primis morbus ad augendam medicinam contulit. Diligentius excoli coepit priſcorum ſtudium, vt num antiquus ſit, num novus morbus, intelligeretur: morbi ipſius hiſtoria accuratius deſcripta eſt, quam reliquorum morborum omnium, vt, quos cruciatus eo adfectis pariat, appareret: medicamentorum permultorum antea ignotorum experimenta facta ſunt, vt medela morbo ſuppeteret, qua ſaltim non diu caruit: dubitari primum denique de aſtrorum in morbis generandis influxu coeptum eſt, cum medici naturalem & foedam ejus morbi cauſam mox perſpicerent.

a) Jo. Aſtruc de morbis venereis libri VI. Pariſ. 1740. in 4to. Chriſtophorus Girtanner in libro doctiſſimo: *Abhandlung über die veneriſche Krankheit* Vol. I. Götting. 1788. 8.

b) Diſſertation ſur l'origine de la maladie vénérienne, dans laquelle on prouve qu'elle n'a point été apportée de l'Amerique, & qu'elle a commencé en Europe

rope par une epidémie. Par M. S(anchez). Paris 1752. 12. Ejusdem viri libellus qui ſine nomine auctoris prodiit: examen hiſtorique ſur l'apparition de la maladie vénérienne en Europe & ſur la nature de cette épidémie. a Lisbonne, 1774. 12. Hensler in libro doctiſſimo: *Geſchichte der Luſtſeuche, die zu Ende des funfzehnten Jahrhunderts in Europa ausbrach.* Vol. I. Altona, 1783. 8. Ej. libellus contra Girtannerum ſcriptus: *über den Weſtindiſchen Urſprung der Luſtſeuche.* Alton. 1789. 8.

b) Joſeph. Gruenbeck de mentulagra, alias morbo Gallico, 1503. 4. Ulr. de Hutten de guajaci medicina & morbo Gallico liber. Mogunt. 1519. 4.

§. 460. Nova per aequor via ad orientalem Indiam, a Luſitanis & ad occidentalem Indiam Americamque per Chriſtophorum Columbum detecta, effecere, vt navigationes & crebriores, & diuturniores fierent. Penuria victus vegetabilis, aquae recentis, hominum in navibus multitudo, immundities, effecere, vt nova morbi nautis infeſtiſſimi ſpecies naſceretur. Scorbutum nautarum dicunt. Deſcripſerunt hunc morbum primum Joannes Echtius *c*), Balduinus Ronſeus *d*).

c) Jo. Echtius de ſcorbuto vel ſcorbutica paſſione epitome. Prodiiſſe hunc librum, ſe legiſſe refert Hallerus biblioth. med. pract. T. II. p. 59. jam ann. 1541.

d) Bald. Ronſei de magnis Hippocratis lienibus Pliniique ſtomacace & ſcelotyrbe, ſeu de vulgo dicto ſcorbuto. Antwerp. 1564. 8. Criticam ſcorbuti hiſtoriam exhibuit Jo. Lind, on the ſcurvy. Part. I. cap. 1.

§. 461. Medici, excerpere & dicere iterum ab aliis dicta ſoliti antea, ipſis his novis morbis

impulſi ſunt, ad nova haec & infeſta hominibus, quae natura produxerat, contemplanda, novorumque morborum novas medicinas quaerendas. Qui eventus commode in ea tempora incidere, in quibus ipſum priſcorum medicorum ſtudium reſtauratum eſt. Horum normam nunc ſequuti, mox hos ipſos morbos & medicamenta ad eos valentia perdidicerunt. Venereus morbus, qui ex America adlatus in Europam jam his temporibus putabatur, impulit Europaeos, qui auri ſacra fame coacti Americam petebant & novi orbis naturalem hiſtoriam negligebant, vt terram, quae morbum tam dirum produxiſſet, medicamenta quoque ad eum produxiſſe arbitrarentur. Sic guajacum detectum eſt, ſumma ad venereos morbos medicina. Permultae aliae valentes ad graviſſimos morbos medicinae ex novo orbe poſtea adlatae ſunt, ipecacuanha, ialappa, balſama, cortex Peruvianus. Sic poſt inventum novum orbem morborum multitudo quidem aucta eſt, multiplicata vero etiam medicamenta ſunt.

§. 462. Medicorum, qui priſcam medicinam reſtauravere, haec merita fuere, vt Graecis & latinis probatioribus medicis ad formanda medicorum ingenia vterentur; vt eos ſequerentur, imitarentur; vt Galenum quidem in theoria ſequerentur, hac tamen non vniverſam medicinam comprehenſam eſſe putarent; vt Arabes primi taxarent, quod contemplationum & ſpeculationum

num plenam totam medicinam feciſſent; vt obſervandis morborum cauſis manifeſtis, decurſui, operam darent, viderentque quid faceret natura in morbis, quid ferret: vt puriore dictione majoreque ingenii cultu vterentur: vt novos morbos deſcriberent, inveniendis medicamentis ad eos inſudarent, neque deſinerent, niſi ad pertinax malum pertinaci medicina inventa: vt denique & ſolitos morbos ſtudioſius obſervarent, & non raro ſingulos eorum caſus deſcriberent.

§. 463. Pertinent ad hos viros Alexander Benedictus, Patavinus profeſſor, ſummus felixque practicus, obſervator, in veteribus ſtrenue verſatus, dictione vtens, pro ſaeculi ingenio, nitida. Peſtem praeclare obſervavit, ejus contagia cognovit ſanamque rationem eam curandi praecepit. Morbos in libro de omnium morborum cauſis, ſignis, curationibus ad Graecorum mentem praeclare deſcripſit. Anatomen reſtauravit.

§. 464. Maxime autem ad priſcam medicinam reſtaurandam contulit Nicolaus Leonicenus, vir doctiſſimus, acer Arabum & Arabiſtarum inimicus, primus inter Italos de morbo Gallico ſcriptor *e*), Galeni librorum multorum diligens & accuratus in latinam linguam translator. Multum quoque ad veterum lectionem vſumque augendum contulit, praeter Marſilium Ficinum, Platonis interpretem doctiſſimum, Theodorus Gaza, Ariſtotelis, Theophraſti, Hippocratis aphoriſmorum interpres. Pertinent porro ad eos, quorum opera Graecorum medicina reſtaurata eſt, Georgius Valla, qui medicinam ex Graecis contractam propoſuit & vertendis veterum Graecorum libris operam dedit, Hermolaus Barbarus, Antonius Benivenius, libri celeberrimi de abditis morborum

rum & ſanationum cauſis, in quo ſingulares morborum hiſtoriae enarratae ſunt, auctor, Petrus Antonius Ruſticus, Symphorianus Campegius immenſae multitudinis librorum ex Graecis & Arabibus collectorum artifex, Jacobus Berengarius Carpenſis, anatomes primus poſt Benedictum, atque verior reſtaurator, Ludovicus Caelius Rhodiginus, Joannes de Vigo, chirurgiae auctor, Ulricus de Hutten, acerrimi ingenii homo, Deſiderius Eraſmus Roterodamus, encomii medicinae auctor, qui doctrina & exemplo ſuo ingenia hominum flexit, Thomas Linacer, Galeni interpres, Eobanus Heſſus, poeta non ignobilis, poematis de tuenda valetudine auctor, Joachimus Camerarius, Jaſon a Pratis, Petrus Briſſotus, vir plane Hippocraticus

e) Girtanner Vol. II. p. 10.

§. 465. Summam quoque laudem meruere his temporibus Guil. Copus, Janus Cornarius, primus inter Germanos medicinae Hippocraticae inſtaurator, Hippocratis, Aetii, Pauli, aliorum auctorum Graecorum permultorum translator & editor, Joannes Manardus, Eucharius Röslin, Joannes Guinterius, Andernacus, Michael Angelus Blondus, Hieronymus Fracaſtorius, Leonhardus Fuchſius primus compendii medicinae ad veterum mentem compoſiti auctor, Otto Brunfels, Hieronymus Thriverius Brachelius, Nicolaus Maſſa, Albanus Torinus. Memoranda quoque ſunt medicinae forenſis, poſt Caroli V conſtitutionem criminalem, et antea Bambergenſem conſtitutionem ejusdem argumenti datam, prima initia.

CON-

CONSPECTUS CHRONOLOGICUS.

Olympiad.	Ante Christum.	Urb. Condit.	
LXXXVII: 3.	428	324	*Hippocrates Cous*, medicorum princeps. Natus Olymp. LXXX: 1. Mortuus Olymp. CII: 1. vid. Fabricii biblioth. Graec. ed. Harles. L. II. cap. 23. §. 2. Vol. II. p. 509. 511. Christoph. Saxii onomast. literar. Tom. I. p. 44.
- - - -	- - -	- - -	*Polybus*, Hippocratis gener. Vid. supra §. 106. & Fabric. biblioth. Graec. L. II. cap. 23. §. 34. Vol. II. p. 610. edit. citat.
LXXXIX: 1.	422	330	*Socrates*, philosophiae ethicae parens. Nat. Olymp. LXXVII: 3. Mort. Olymp. XCV: 1. vid. Saxii onom. t. I. p. 45.
XCV: 1.	398	354	*Plato*, Athenienſis, Academiae parens. Nat. Olymp. LXXXVII: 4. Mort. Olymp. CVIII: 1. *Ab Olympiad. CII. vſque ad Olympiad. CXXIII. ſchola medicorum Hippocrateorum* §. 106—142 *floruit.*
CIX: 2.	341	411	*Ariſtoteles*, Stagirites, Peripateticorum princeps, hoc anno in palatium Philippi, Macedonum Regis,

Olympiad.	Ante Chriſtum.	Urb. Condit.	
			Regis, venit ingenioque Alexandri praeceſſe coepit. Natus Olymp. XCIX: 1. Mortuus Olymp. CXIV: 3. vid. Diog. Laert. L. V. Sect. 1—35. Saxii onomaſt. literar. Tom. I. p. 76.
CXI: 4.	336	418	*Alexander Magnus* regnare coepit. Natus Olymp. CVI. Mortuus Olymp. CXIV.
CXIV.	324	430	Hoc tempore floruerunt medicorum Hippocrateorum principes *Herophilus*, Chalcedonius §. 102—136. & *Eraſiſtratus*, Ceus. §. 138. ſeq.
CXIV: 2.	321	431	*Theophraſtus*, Ereſius, Ariſtotelis diſcipulus, hoc anno praeceptori ſucceſſit in peripato. Natus eſt Olymp. XCVII: 1. Mortuus Olymp. CXXIII: 1. vid. Diog. Laert. Libr. V. Sect. 36—57. Saxii onomaſtic. T. I. p. 83.
CXX: 4.	295	457	*Epicurus*, Gargettius, philoſophus. Natus Olymp. CIX: 3. Mortuus Olymp. CXXVII: 2. vid. Diog. Laert. L. X. & nos ſupra §. 184—187. cf. Saxii onomaſt. T. I. p. 93.
CXXI: 3.	292	460	*Eraſiſtratus* in aula Seleuci moratur, magnam gloriam conſequutus.

Olympiad.	Ante Chriſtum.	Urb. Condit.	
			quutus, detecto Antiochi, Seleuci, filii, amore novercae, Stratonices, depereuntis morbo. vid. Suidas ſ. v. Eraſiſtratus.
CXXII : 2.	289	463	*Aeſculapius*, draconis forma, Epidauro Romam transfertur. vid. ſup. §. 242. ſeq. Epit. Livian. L. XI. Valer. Maxim. L. I. de mirac. cap. 2.
CXXIII : 4.	285	469	Circa haec tempora, ſaltim aevo, quod intra Olympiad. CX-CXX eſt, floruere Diocles Caryſtius & Praxagoras Cous, ſcholae Hippocrateae medici, nec non ejusdem ſcholae medici Pliſtonicus, Philotimus, Mneſtheus, Dieuches, Chryſippus, Antigenes, Medius. vid. §. 127-129.
			Floruere etiam ab Olymp. CXXI Herophili diſcipuli, Manteias, Callimachus, Bacchius, Zenon. Eraſiſtrati diſcipuli Strato, Apollonius, Apollophanes, Seleucienſis.
			Olympiad. CXXIII. Philinus, Cous, (vid. §. 150.) Herophili diſcipulus, medicinam a rationali diſciplina abſcidit, occaſione ab Herophilo, praeceptore ſuo, accepta.
			A Philino Serapion, Alexandrinus, qui primus omnium rationa-

Olympiad.	Ante Chriſtum.	Urb. Condit.	
			tionalem diſciplinam nihil ad medicinam pertinere profeſſus eſt. v. Celſ. in praef. ad L. I. pag. 3.
CXXV: 2.	277	475	*Zeno*, Citieus, e Cypro, philoſophiae Stoicae parens. Natus Olymp. CIV: 3. Mortuus Olymp. CXXIX, vel CXXX. vid. Diog. Laert. L. VII. Sect. 1—164. Saxii onomaſt. T. I. p. 94.
CXXVII.	270	483	*Heraclides Tarentinus*, *Apollonii duo*, *Menodotus*, *Sextus*, empiricorum principes, circa haec tempora floruiſſe videntur.
CXXXVI: 3.	233	520	*M. Porcius Cato*, vir Cenſorius, hiſtoricus, optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator (Plin. VII. hiſt. nat. c. 27.), ruſticorum Latinorum princeps, natus eſt. Fato functus eſt anno U. C. 605.
CXL: 2.	217	535	*Archagathus*, Lyſaniae filius, Graecus medicus, e Peloponneſo Romam venit. vid. §. 248.
CLIII.	167	585	*Agatharchides*, Cnidius, philoſophus & hiſtoricus, qui de dracunculis primus ſcripſit, circa hos forte annos floruit. vid. Voſſ. L. I. hiſt. Graec. c. 20. Saxius T. I. p. 129.

Ni-

Olympiad.	Ante Chriſtum.	Urb. Condit.	
CLVIII.	147	605	*Vicander*, Colophonius, carminum ſcriptor & medicus floruit.
- - - -	- -	650	*Aſclepiades*, Pruſienſis, Bithynus, Romae ex rhetore medicus factus, ſectae methodicorum primus conditor, medicus celeberrimus (§. 188—203), circa haec tempora fato functus eſt. vid. Jo. Lud. Bianconii epiſt. de Celſi aetate p. 41. in edit. Celſi Lugd. Bat. 1785. 4.
CLXXIX: 2.	61	691	*Mithridates* devictus a Pompejo M. mori cogitur. Pompejus omni regia praeda potitus, ejus obſervationes de medicinis per libertum ſuum Lenaeum in ſermonem latinum jubet transferri.
CLXXXIII: 3.	44	708	*C. Julius Caeſar* omnes medicinam Romae profeſſos & liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi vrbem incolerent, caeterique appeterent, civitate donavit. vid. §. 254.
- - - -	- -	- -	*Themiſon*, qui primus methodicorum ſectam inſtituit poſt Aſclepiadem praeceptorem ſuum, circa haec tempora fato functus eſt. vid. Joa. Lud. Bianconii epiſt. de Celſi aetate. p. 41. in Celſi edit. citat.
CLXXXVIII.	27	725	*A. Cornelius Celſus*, domo Romanus, non quidem, vt videtur,

Olympiad.	Ante Chriſtum.	Urb. Condit.	
			medicus, de arte tamen medica cultiſſime ſcripſit. Eum floruiſſe ſub Cajo Caligula, qui ab ann. poſt Chriſtum 37—41 imperio Romanorum praefuit, putat Saxius, in onomaſt. Tom. I. p. 237. ſub Tiberio illuſtris quondam Erneſti, in Jo. A. Fabricii biblioth. lat. cura Erneſti L. IV. cap. 4. Tom. II. p. 36. Sed eum floruiſſe prius, quam Antonius Muſa Auguſtum contraria medicina curaret, probavit Jo. Lud. Bianconius, in epiſt. de Celſi aetate. p. 42.
CLXXXVIII: 3.	24	728	*Aemilius Macer*, Veronenſis, quem Ovidius citat, phyſici & medici argumenti carminum ſcriptor. Obiit Olymp. CXC: 4. Urb. Condit. 737.
CLXXXIX: 2.	21	731	*Antonius Muſa*, libertus & medicus Octaviani Caeſaris. Eo anno Marcellum Ψυχρολεσίαις & Ψυχροποσίαις cum curare vellet, occidiſſe dicitur. vid. Dio Caſſius Libr. LIII. p. 517. ed. Leunclav. & meum Progr. de Antonio Muſa, Auguſti medico. Altorf. 1786. 4.

Xeno-

Saeculum I. Principib.	Poſt Chriſt.	
Cajo Caligula 37—41.	- -	*Xenocrates*, Aphrodiſienſis, medicus Graecus, auctor libri, qui interiit, de vtilitate ex animalibus percipienda, & libri, qui adhuc ſupereſt, de alimentis ex aquatilibus. Reliquos ejus libros, qui interierunt, citat Hallerus in biblioth. med. pract. T. I. p. 170.
Claudio I. 41—54.	- -	*Q. Rhemnius Fannius Palaemon*, Vicentinus, Grammaticus & carminum ſcriptor, argumento Hieronymi, in chron. Euſebiano ad Olymp. CCVI. p. 160. Ejus carmen de ponderibus & menſuris adhuc extat.
	- -	*Scribonius Largus*, Deſignatianus, (ſi id muneris nomen eſt, vt vult Cl. Bernhold in praefat. adScribon. edit. 1786. praemiſſ. p. 9.) medicamentorum libri inter Romanos auctor, hunc librum ſuum ad Cajum JuliumCalliſtum, Claudii imperatoris libertum, argum. Tacit. annal. XI, 29. & 38. ſcripſit. Vid. quoque Jo. Rhod. in not. ad Scribon. p. 3. ſeq.
	- -	*Vectius Valens*, medicus Romanus, adulterio Meſſalinae, Claudii Caeſaris, nobilitatus. Plin L. XXIX. c. 1.
Nerone. 54—68.	- -	*Andromachus*. Cretenſis, Neronis Auguſti archiater, ejusdemque filius Andromachus, itidem Neronis archiater. Γαλήνη, ſive theriaca, celebratiſſimum medicamentum, ab Andromacho ſeniore compoſita & verſibus Graecis deſcripta. Vid. Fabric. in elench. medi-

Saecul. I. Principib.	Poſt Chriſt.	
		cor. veter. p. 60. 61. in bibl. Graec. Vol. XIII.
	64	*Pedanius Dioſcorides*, Anazarbeus, Cilix, non empiricus, vt vult Fabricius, in biblioth. Graec. L. IV. c. 3. Vol. III. p. 89. ſed dogmaticus, nobiliſſimi operis de materia medica ſcriptor. Libros de paratu facilibus medicamentis Andromacho ſeniori dedicavit.
	- -	*Erotianus*, vel *Herotianus*, *Erotion* etiam & *Herodion* dictus, expoſitionem vocum Hippocratis, quam edidit, Andromacho archiatro Neronis inſcripſit. vid. Jo. G. Fr. Franzii praef. Erotiani, Galeni & Herodoti gloſſaria in Hippocratem. Lipſ. 1780. 8. p. 15. Saxii onomaſt. literar. T. I. p. 256.
	- -	*Democrates*, archiater.
	- -	*Aſclepiades*, Pharmacion dictus, nobilis medicamentorum auctor.
	- -	*Crinas*, Maſſilienſis, medicus Romanus, vid. Plin. L. XXIX. c. 1.
	- -	*Charmis*, Maſſilienſis, qui imitatione Antonii Muſae ductus frigida, etiam hybernis algoribus, lavari perſuaſit merſitque aegros in lacus, teſte Plinio. L. XXIX. c. 1.
	- -	*Theſſalus*, Trallianus, qui methodum complevit, vt ſectae dignitatem teneret multosque diſcipulos nactus eſt, Neroni librum dicavit & epiſtolam ad Neronem ſcripſit. cf. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 176.

Athe-

Saecul. I. Principib.	Poſt Chriſt.	
Veſpaſiano. 69—79.	- -	*Athenaeus*, Attalienſis, ſectae pneumaticorum medicorum conditor, Neronis vltimis, aut Veſpaſiani temporibus floruit. cf. Cl. Oſterhauſen hiſtor. ſectae medicor. pneumaticor. Sect. 1. §. 1. p. 15. vid. & ſupra §. 234.
	78	*Cajus Plinius Secundus*, Veronenſis, aut Novocomenſis, philoſophus, grammaticus, hiſtoricus, jam Nerone principe florere coepit, editis L. VIII. dubii ſermonis teſte Plinio juniore, Epiſt. III. §. 5. hoc tamen anno, vel ſuperiori 77. evulgatis hiſtoriae naturalis libris, vivo adhuc Veſpaſiano Auguſto, Titoque jam ſexies conſule, immortalem nominis gloriam conſequutus eſt. Natus eſt ſub Tiberio, anno poſt Chriſt. 23. Extinctus eſt A. C. 79. vid. Fabric. biblioth. latin. cura Erneſti. L. II. c. 13. Tom. II. p. 179. Haller biblioth. botan. cap. 40. Tom. I. p. 91. biblioth. med. pract. T. I. p. 184. Saxii onomaſt. literar. T. I. p. 265.
Domitiano. 81—96.	- -	*Aretaeus*, Cappadox, medicus poſt Hippocratem omnium celeberrimus, circa haec tempora vixiſſe videtur. Saltim poſt Neronem vixit: antidoti enim διὰ θηρίων, cujus auctor Andromachus erat, meminit. de curat. chronicor. morb. L. I. c. 4. p. 134. ed. Jo. Wigan. vid. Jo. Wigan. diſſert. de Aretaei aetate, in ejus edit. Aretaei, Oxon. 1723. fol. pag. 11. ſeq.

Saecul. I. Principib. Trajano. 98—117.	Poſt Chriſt. 99	*Rufus*, Epheſius, libri de veſicae renumque morbis, de purgantibus medicamentis & de partibus corporis humani auctor, Suida teſte ſub Trajano floruit. vid. Thom. Clinch. diſſ. de Rufo & Rufi ſcriptis, praemiſſa Rufi edit. gr. lat. Londin. 1729. 4. §. 1. pag. 9.
Saeculum II.	- -	*Soranus*, Epheſius, Menandri filius, quem perfeciſſe demum methodicorum ſectam Galenus (introd. ſ. med. c. 4. t. II. p. 363. Charter.) refert, diſtinguendus ab aliis ejus nominis, Sorano Epheſio, minore, incertae aetatis medico & Pſeudo-Sorano, iſagoges in artem medicam auctore, quo vſus in libro ſuo componendo Caelius Aurelianus (§. 232.) dicitur, hoc tempore vixit. Primum Alexandriae, deinde Romae medicinam exercuiſſe eum refert Suidas, ſ. v. Σωρανὸς Μενάνδρου. vid. Saxii onomaſt. T. I. p. 292.
Marco Aurelio Antonino Philoſ. & Lucio Vero. 161-169.	164	*Claudius Galenus*, Niconis filius, Pergamenus, medicorum poſt Hippocratem princeps, philoſophus, grammaticus. Natus eſt Adriano principe, anno poſt Chr. circiter 131. Hoc anno 164 Romam venit. vid. §. 281. Mortuus eſt Septimio Severo Romanis imperante. vid. ſupra cap. 21. §. 278-283. & Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 228.
	- -	*Marcellus*, Sidetes, ex Side, oppido Pamphyliae. Scripſit, Suida teſte, Antonino imperante carmen de re medica libris XLII comprehenſum, in quo etiam de lycan-

Saecul. II. Principib.	Poſt Chriſt.	
		lycanthropia tractavit. vid. Fabric. elench. medicor. veterum in biblioth. Graec. Vol. XIII. p. 315.
M. Aurelio Antonino ſolo. 169 - 176.	172	*Apulejus*, Madaurenſis, philoſophus Platonicus, orator & ſophiſta, hoc anno coram Claudio Maximo, Africae proconſule, magiae cauſam egit. vid. Saxii onomaſt. literar. Tom. I. p. 323.
M. Aurelio & filio Commodo. 176 - 180.	176	*Aelius Ariſtides*, Adrianenſis Bithynus, ſophiſta, in ſacrarum orationum prima Marcum Aurelium Αυτοκράτορα τὸν πρεσβύτερον vocat, intuitu ejus filii Commodi. Vid. de eo ſupra not. ad §. 43. & Saxii onomaſtic. literar. T. I. p. 325.
Septimio Severo. 193 - 211.		*Quintus Serenus Samonicus*, pater, ſi huic carmen de medicina adſcribendum eſt. Vid. meam praef. ad. Q. Seren. Samon. in edit. Sereni Lipſ. 1786. p. 7. ſeq.
Saeculum III. Severo Alexandro. 222 - 235.	225	*Claudius Aelianus*, Praeneſtinus, ſophiſta & hiſtoricus, variarum hiſtoriarum, item operis de hiſtoria animalium auctor, quod Alexandro Severo principe ſcripſit judice Jac. Perizonio, in praef. ad Aeliani varias hiſtorias. vid. Saxii onomaſt. literar. Tom. I. p. 356.
Diocletiano in Or. 284 - 305. Maximiano Herculeo in Occid. 286 - 305.		*Lucius Caelius*, ſeu *Caecilius Lactantius*, Firmianus, rhetor, theologorum Chriſtianorum Cicero, diſcipulus Arnobii & magiſter poſtea Criſpi Caeſaris, ob libellum *de opificio Dei* hic memorandus. Ex Africa Nicomediam a Diocletiano accitus oratorias literas

Saecul. IV. Principib.	Poſt Chriſt.	
		docuit. Inſtitutionum divinarum libri ejus ante annum 319 lucem non viderunt. Vid. Saxii onomaſt. T. I. p. 386.
Juliano. 361 - 363.	- -	*Oribaſius*, Pergamenus, aliis Sardianus, Zenonis Cyprii diſcipulus, Juliani Imperatoris archiater. vid. Juliani epiſt. ad Oribaſ XVII. Oper. p. 384—386. Haller biblioth. medic. pract. T. I. p. 283.
Orient. Valente. 364 - 378.	Occident. Valentiniano I. c. fil. Gratiano. 367 - 375.	- - *Nemeſius*, epiſcopus Emeſenus, theologus & philoſophus, libri de natura humana auctor. vid. Fabric. biblioth. Graec. L. V. c. 14. p. 549. Vol VII.
		372. *Vindicianus*, Valentiniani I Aug. comes archiatrorum, ab his circiter annis non removendus, argumento epiſtolae ejus ſuperſtitis de medicina.
	Gratiano c. Valentiniano, fratre. 375 - 383.	376. *Severus Sanctus Endeleichius*, rhetor & verſificator, carminis de mortibus boum auctor, vid. praefat. ad edit. Severi Sancti c. not. Jo. Weitzii & Wolfg. Seberi, Lugd. Bat. 1717. 8.
		- - *Theodorus Priſcianus*, Archiater, circa haec Gratiani & Valentiniani II tempora floruiſſe videtur. Vid. ſupra §. 331. & Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 293. Fabricii biblioth. latin. cura Erneſti Libr. IV. cap. 8. Tom. III. p. 539.

Pli-

Saec. IV. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt	
Theodoſio M. 379 - 383.		380.	*Plinius Secundus*, ſive *Valerianus*, librorum V. de re medica auctor, hoc tempore floruiſſe videtur. Vid. ſupra §. 358. & Saxii onomaſt. Tom. I. p. 439.
		- -	*Sextus Placitus*, Papyrienſis, libelli de medicamentis ex animalibus auctor, ante Marcellum Burdegalenſem ſcripſiſſe videtur. vid. meam praefat. ad parabil. medicamentor. ſcriptor. antiq. Norimb. 1788. 8. p. 13.
		- -	*Lucius Apulejus*, ſed non ille Madaurenſis, herbarii auctor, idem forte cum Sexto Placito auctor. vid. Caſp. Barth. adverſar. XXXVIII. cap. 1. & praefat. meam in parabil. medicam. ſcript. p. 25.
Theodoſio M. c. Arcadio. 383 - 393.	Valentiniano II. ſolo. 383 - 392.	384.	*Flavius Vegetius Renatus*, rei militaris & veterinariae auctor. vid. Haller biblioth. chirurg. T. I. p. 102. biblioth. med. pract. T. I. p. 291.
		- -	*Marcellus*, Burdegalenſis, medicus empiricus, vir inluſter, ex magno officio Theodoſii ſenioris. Vid. ſupra §. 357. & Haller in biblioth. medic. pract. T. I. p. 294.
Saecul. V. Theodoſio II. 408 - 450.	Honorio. 395 - 423.		*Caelius Aurelianus*, Siccenſis Afer, medicus methodicus, & hujus ſectae ſcriptor nobiliſſimus,

Saec. VI. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
			mus, circa haec tempora floruiſſe videtur. Vid, Thom. Reineſ. var. lect. Libr. III. cap. 17 & 18. Fabricii bibliothec. latin. cura Erneſti Libr. IV. cap. 8. Tom. III. p. 531. Haller in biblioth. medic. pract. T. I. p. 207.
Anaſtaſio Dicoro. 491 - 518.	Oſtrogothis.	514.	*Magnus Aurelius Caſſiodorus*, philoſophus, rhetor & grammaticus. vid. Jo. Henr. Meibomii praefat. ad M. Aurel. Caſſiodori formulam comit. archiatror. Helmſtad. 1668. 4.
Juſtiniano I. 527 - 565.		540.	*Aetius*, Amidenus, κόμης τῆς ὀψικίου (comes obſequii) in aula, vt videtur, Juſtiniani. Eum intra annos a 540 - 550 librum ſuum medicinalem conſcripſiſſe probavit Cl. Weigel in exercit. Aetian. Lipſ. 1791. p. 8.
		544.	*Alexander*, Trallianus, Stephani filius, iatroſophiſta, non methodicus, vt Fabricius voluit, biblioth. Graec. L. VI. c. 7. Vol. XII. p. 593. ſed medicus dogmaticus & compilator, Juſtiniani hoc circiter aevo floruit. vid. Saxii onomaſt. T. II. p. 42. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 303.
		- -	*Priſcianus*, Lydus, philoſophus peripateticus, paraphraſtes libri Theophraſtei de ſenſu, phantaſia

Saec. VII. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
			ſia & intellectu, hujus ciciter aetatis eſſe cenſetur a Saxio in onomaſt. literar. Tom. II. p. 47.
Heraclio. 610 - 641.	Longo-bardis.	622.	*Mohammedes*, Arabs, Corani, qui intra annos 622 & 625. inchoatus & abſolutus dicitur, opifex. Hic annus fugae ejus, Medinam ſuſceptae, index & *Hegirae*, novae Arabum epochae, index eſſe perhibetur. vid. Abi'l Feda de vita & rebus geſtis Mohammedis. Oxon. 1723. fol. c. 1. Georg. Elmacin. hiſt. Saracen. L. I. c. 1. Gregor. Abul-Pharag. dyn. IX. p. 160.
		- -	*Aaron*, presbyter Alexandrinus, ſyntagmatis artis medicae auctor, temporibus Mohammedis vixit. Vid. ſupr. §. 375.
		- -	*Theophilus*, ſ. *Philotheus*, ſ. *Philaretus*, protoſpatharius, Stephani Athenienſis praeceptor, hoc tempore vixiſſe dicitur. vid. Haller biblioth. med. pract. T.I. p. 307.
		- -	*Paulus*, Aegineta, ſaeculi VII. ſcriptor, qui in Aegypto & Romae vixit. vid. Haller biblioth. med. pract. Tom. I. p. 311.
		- -	*Palladius*, iatroſophiſta, ad haec forte tempora referendus. vid. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 315.

Ste-

Saec. VII Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
Conſtante II.		642.	*Stephanus*, Athenienſis, Galeni interpres. Vid. Fabric. bibl. Graec. L. VI. c. 7. p. 693.
Conſtantino IV. 668 - 685.		684.	*Theodocus* & *Theodunus*, medici Graeci. Vid. ſupra §. 376.
Saec. IX. Irene. Nicephoro I. Michaele Rangabe. Leone V. Nicephoro I. 802 - 811.	Carolo Magno. 800 - 814.	800.	*Carolus Magnus*, etiam de medicina, ob medicinae ſcholas, quas inſtituit, meritus. Vid. ſupra §. 416. Saxii onomaſt. T. II. p. 95.
		802.	*Schola Pariſina*, conſilio Alcuini, vt videtur, condita. Vid. Herm. Conring. de antiq. acad. ed. Heumann. diſſ. I. §. 43. p. 49. Diſſ. III. §. 8—18. p. 79. & ſeq. & in ſupplem. paſſim.
		809.	*Johannes* filius *Maſawaihi*, de quo vid. ſupra §. 377. Idem is eſt cum Jano Damaſceno. Vid. Jo. Godofr. Hahn de veris Meſue ſcriptis non deperditis, ſed ſub Jani Damaſceni nomine conſervatis, ad calcem Ejusd. antiquit. variolar. Brigae, 1733. 4.
Michaele III. & Theodora, matre. 842 - 857.	Lothario. 841 - 855.	842.	*Honain*, filius Iſaac, verſione Graecorum in orientis linguas clariſſimus, Almotawaccelo chalifa, his temporibus claruit. Vid. ſupra §. 379. 380.
		- -	*Johannes Serapion*, medicus Arabs. vid. ſupra §. 401.
Saecul. X. Conſtantino VII.		930.	*Mohammed Ebn Zacharia al Razi*, vulgo *Rhaſes* dictus, Ara-

Saecul. X. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
Porphyrogeneta. 912 - 959.			Arabum medicorum celeberrimus. Obiit ann. 932. Vid. ſupra §. 402. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 364. De ejus hiſtoria Hiſpaniae lege hiſtoriam vitae & ſcriptorum La Croſii a Jordano confectam. p. 126. ſeq.
	Ottone I. Rege Germaniae. 936 - 973.	933.	*Eutychius*, Arabice *Said*, patriarcha Alexandrinus, medicus & hiſtoricus Arabs, annalium auctor. Mortuus eſt ann. 940. vid. Saxii onomaſt. T. II. p. 148.
		940.	*Nonus*, medicus Graecus, de quo vid. §. 341. hoc forte tempore floruit. cf. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 316.
Conſtantino III. 976-1028.	Ottone II. 973 - 983.	980.	*Haly Ebno'l Abbas*, de quo vid. ſupra §. 404. & Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 380.
Saec. XI. Michaele IV. 1034-1041	Henrico III. 1039-1056	1036.	*Abu Ali Hoſain Abdalla Ebn Sina*, vulgo *Avicenna* dictus. De eo vid. ſupra §. 405. & Leon. Africani libr. de med. & philoſ. Arab. c. 9. in Fabric. biblioth. Graec. p. 268. Vol. XIII. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 383.
		- -	*Johannes*, filius *Meſues*, libri de purgantibus ſimplicibus, & aliorum operum auctor. vid. ſupra §. 407.
		1070.	*Gariopontus*, Petro Damiano, epiſcopo Oſtienſi, notus atque dilectus

Saecul. XI Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
			dilectus qui ab anno 1030. vſque ad ann. 1072. floruit, his temporibus vixit. vid. ſupra §. 422.
Michaele VII. Duca. 1071-1078	Henrico IV. 1056-1106	1075	*Simeon Sethus*, Antiochenus, medicus Conſtantinopolitanus. vid. Leo Allatius diatr. de Symeonum ſcriptis. p. 181. cf. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 318.
			Nicetas, ἰατρὸς βασιλέως, fortaſſe circa tempora Theophylacti, Bulgarorum archiepiſcopi, floruit. Inter Theophylacti enim epiſtolas eſt vna ad Nicetam, medicum imperatoris. cf. de ejus collectione librorum chirurgicorum Haller biblioth. chirurg. T. I. p. 113.
Alexio I. Comneno. 1081-1118		1087.	*Conſtantinus*, Africanus, medicus Salernitanus, monachus Caſinenſis, fato hoc anno functus eſt. vid. ſupra §. 420. & meam ſtudii medici Salernitani hiſtoriam & ſcriptores, quos ibi citavi, pag. 35. ſeq.
Saec. XII.		1100.	*Johannes* de *Mediolano*, Conſtantini forte auditor, qui regimen ſanitatis Salerni compoſuiſſe fertur. vid. meam diſſert. de regiminis ſanitatis vero auctore, in hiſtor. ſtudii medici ſalernitani pag. 93. ſeq.

Jo-

Saec. XII. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
Manuele I Comneno. 1148-1180	Frider. I. Aenobarbo. 1152-1190	- -	*Johannes Ttetzes*, Conſtantinopolitanus, chiliades ſuas anno 1170 ſcripſiſſe & vitam ad annum 1180 aut 1185 produxiſſe teſtatur Saxius, in onomaſt. T. II. p. 242.
		1172.	*Avenzoar*, medicus Arabs, vid. §. 408. hoc anno obiiſſe ſupremum diem dicitur.
Andronico I. Comneno. 1183-1185		1184.	*Gerardus*, Carmonenſis, Hiſpanus, philologus Arabs, plurimorumque librorum, Arabice ſcriptorum, interpres latinus, hoc anno mortuus eſt. Vid. Saxii onomaſt. T. II. p. 267.
Iſaacio II. Angelo. 1185-1195	Henrico VI. 1190-1197	1190.	*Rabbi Moſes Maimonides*, Cordubenſis, Hiſpanus, theologus, medicus & philoſophus. vid. Saxii onomaſt. T. II. p. 274.
Alexio III 1195-1203	Philippo. 1198-1208 Ottone IV 1198-1218	1198.	*Averrhoes*, Cordubenſis, Hiſpanus, Arabs, philoſophiae Ariſtotelicae gnariſſimus, anima Ariſtotelis dictus, medicus, compilator. Obiit anno 1206.
Saec. XIII.		1200.	*Albucaſis*, ſive *Alſaharavius*, chirurgorum inter Arabes princeps, Jo. Freindio teſte, hiſt. medic. p. 257. ſaeculo XIII. floruit. Alii ſaeculo XI libros de chirurgia & medico practicum ſcripſiſſe referunt. vid. Saxii onomaſt. Tom. II. p. 193.

Fride-

Saec. XIII Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
Latinis. 1204-1261	Friderico II. ſolo 1218-125c	1218.	*Fridèricus* II. Romanorum Imperator, Salernitani ſtudii medici reſtaurator, Neapolitani inſtaurator, eruditus princeps & eruditorum hominum fautor.
		1220.	*Rigordus*, medicus Philippi Auguſti, Regis Franciae, & chronographus. vid Saxii onomaſt. T. II. p. 292.
		1240.	*Albertus Magnus*, epiſcopus Ratisbonenſis qui anno 1280 fato functus eſt. vid. Saxii onomaſt. Tom. II. p. 303.
	Interregnum magnum. 1250-1273	1260.	*Rogerius Baco*, Ilceſtrienſis, Anglus, ordinis S. Franciſci monachus, theologus & mathematicus; inter ſcholaſticos *Doctor admirabilis* dictus. Mortuus eſt ann. 1292, aut, vt alii volunt, 1294. cf. de eo Freind hiſt. medic.
Michaele VIII. Palaeologo. 1261-1282		1271.	*Demetrius Pepagomenus*, Michaelis Palaeologi, Imperatoris Clitani, archiater, libelli de podagra auctor.
	Rudolpho I Habsburgico. 1273-1291	1280.	*Nicolaus Myrepſus*, a Nicolao, Salernitano praepoſito, diſtinguendus. vid. Saxii onom. T. II. p. 321.
Andronico II. Palaeologo. 1282-1328		1284.	*Gregorius Abul-Pharagius*, ſ. *Bar-Hebraeus*, gente Armenus, hiſtoriae dynaſtiarum & chronici Syriaci auctor, medi-

cus,

Saec. XIII. Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
			cus, grammaticus Arabs, hoc anno chronicon ſuum finire juſſit. vid. Sim. Aſſemani biblioth. orientale Clementino-Vatican. T. II. cap. 42. pag. 244. ſeq.
		1290.	*Raymundus Lullus*, alchymiſta, dialections, *Doctor illuminatus dictus*. Natus 1235. Mortuus 1315. vid. Saxii onom. T. II. p. 32.
		1290.	*Petrus Creſcentius*, ſeu *de Creſcentiis*, Bononienſis, philoſophus & medicus, rei ruſticae ſcriptor. vid. Fabric. bibl. latin. med. aetat. Tom. V. p. 761. Jo. Matth. Gesner in praef. ad rei ruſticae ſcript. p. 17. ſeq. Haller biblioth. botan. T. I. p. 230. biblioth. med. pract. T. I. p. 43.
		- -	*Bernardus de Gordonio*, profeſſor Monſpelienſis, docere coepit anno 1284. Abſolvit lilium ſuum medicinae anno 305. vid. Haller bibl. med. pract. T. I. p. 437.
		- -	*Petrus de Apono*, ſive *de Abano*, qui vicus erat agri Patavini, medicus, philoſophus, aſtrologus. vid. ſupra §. 445.
Andronico II. Palaeologo 1282-1328	Alberto I 1298-1308	1197.	Matthaeus Silvaticus, Mantuanus, pandectarum medicinae auctor, qui hoc anno ſe ipſum Salerni fuiſſe teſtatur. v. ej pandect. ſ. v. bruculus.

Saec. XIV Orient.	Principib. Occident.	Poſt Chriſt.	
			Johannes, Zachariae filius, *Actuarius*, medicus Graecus aulae Conſtantinopolitanae. vid. ſupra §. 342. 343. Haller biblioth. med. pract. T. I. p. 319.
Saec. XIV Andronico III. Palaeologo. 1328-1341	Ludovico IV. Bavaro. 1314-1347	1330.	*Arnaldus de Villanova*, anno 1300 natus, & 1363. fato functus Symphoriano Campegio referente, medicus, alchymiſta, philoſophus inſignis. vid. diſſ. meam de carminis Salernitani vero auctore in hiſt. ſtudii medici Salernitan. p. 101. Haller biblioth. med. pract. Tom. I. p. 446.
		-	*Gentilis*, Fulginas, medicus. Obiit. anno 1348.
Johanne IV. Cantazuceno. 1347-1355	Carolo IV 1347-1378	1348.	*Guido de Cauliaco*, Gallo-Francus, archiater Clementis VI. Pontificis Romani, chirurgus nobiliſſimus, vid. ſupra §. 450. hoc anno lectus. cf. Saxii onomaſt. T. II. p. 368.
Johanne III. Palaeologo. 1355-1391		1360.	*Bartholomaeus de Glanville*, S. *Anglicus*, ex comitibus Suffolcianis, philoſophus & phyſicus, circa hunc annum floruit.
Saec. XV. Conſtantino XI. Palaeolog. 1448-1453		1453.	Conſtantinopolis a Turcis expugnata.
Friderico II. 1440-1493		1455.	*Georgius Valla*, Placentinus, medicus, grammaticus & philoſophus.
		1480.	*Marſilius Ficinus*, i. e. Ficini filius, canonicus Florentinus, Mediceae domus cliens,

Saec. XV. Principib.	Poſt Chriſt.	
		cliens, Platonis interpres doctiſſimus, philoſophus, philologus. vid. Saxii onomaſt. T. II. p. 481.
	1490.	*Nicolaus Leonicenus*, Vicentinus, medicus, rhetor & philologus Ferrarienſis. Natus 1428. mortuus 1524.
Saec. XVI. Maximiliano I. 1493-1519	1500.	*Thomas Linacer*, Anglus, medicus & philologus Cantabrigienſis, Galeni doctiſſimus interpres.
	1516.	*Benedictus Curtius Champerius*, Symphorianus, vulgo *Symphorianus Campegius*, aut *Champerius*, philoſophus rerum naturalium, medicus & philologus Lugdunenſis, polygraphus, aſtrologus. Mortuus eſt anno 1539 aut 1540.
	- -	*Helius Eobanus Heſſus*, poeta & hiſtoricus Erfordienſis, mox Marburgenſis, libelli de tuenda valetudine auctor. Nat. 1488. Mort. 1540.
	- -	*Johannes Leo*, Africanus, proprie Granatenſis Hiſpanus, primum Mohammedanus, deinde Chriſtianus, poſtea iterum Mohammedanus, medicorum & philoſophorum Arabum biographus. vid. Fabric. biblioth. Graec. L. VI. c. 9. p. 259. Vol. XIII.
	1516.	*Ludovicus Coelius Richerius*, patria *Rhodiginus*, (Rovigo) philoſophus & philologus Patavinus. Hoc anno Venetiis antiquas lectiones in lucem exire juſſit. Natus 1450. Mort. 1520.
	1517.	*Ulricus de Hutten*, eques armis & literis nobilis, Germanorum Lucianus. Nat. 1483. Mort. 1523.

Saec. XVI. Principib.	Poſt Chriſt.	
Carolo V. 1519-1556	1519.	*Hermannus* Comes *de Neuenar*, Juliacenſis, canonicus, tum praepoſitus templi Colonienſis, hominum eruditorum Maecenas, ipſe rhetor, hiſtoricus, philologus, Flavii Renati. Vegetii de arte veterinaria, Albucaſis & Theodori Priſciani editor.
	1520.	*Otto Brunfels*, medicus & philologus mox Argentoratenſis, mox Bernenſis.
	1525.	*Euricius Cordus*, Haſſus, Nic. Leonicени diſcipulus, medicus & poeta. Mort. 1535.
	1529.	*Johannes*, ſ. Janus *Guinterius* ſ. Guinterius, (Winter) Andernacenſis lebiorum, medicus & philologus mox Lovanienſis, mox Pariſinus. Nat. 1487. Mort. 1574.
	1530.	*Hieronymus Fracaſtorius*, Veronenſis, medicus, philologus, poeta. Nat. 1483. Mort. 1553.
	- -	*Julius Caeſar Scaliger*, (della Scala) Italus, excellentis ingenii poeta, rhetor, criticus, medicus & philoſophus Agennenſis in Aquitania Franciae.
	- -	*Philippus Aureolus Theophraſtus Paracelſus*, (vero nomine *Bombaſt von Hohenheim*) Einſidelenſis Helvetus, chemicorum ſectae in Germania auctor.

INDEX AUTORUM.

A.

Abi'l Feda p. 279. 289. saep.
Abi Osbaia 291
Abul-Pharagius, Gregorius (vid. etiam Bar-Hebr.) 275. 289. saep.
Ackermann, Johann Christian Gottlieb 61. 202. saep.
Aegidius Corbolienſis 341. saep.
Aetius 231. saep.
Agrippa, Cornelius 177
Albucaſis 330
Alexander Trallianus 231. 233
Allgemeine Weltgeſchichte 286
Almeloucen, Janſen ob 177
Alpinus, Proſper 20. 164
Alſaharavius 304. 305
Ammianus Marcellinus 33. 235
Anna Comnena 274
Apicius, Caelius 262
Apollodorus 28. saep.
Aretaeus 231
Ariſtophanes 42. 43
Ariſtoteles 17. 48. saep.
Arnaldus de Villanova 304
Aſſemann, Joſ. Sim. 281. saep.
Aſtruc, Jo. 376
Athenaeus 88
Auſonius 225
Avenzoar 304 saep.
Avicenna 305

B.

Bar-Hebraeus (vid. etiam Abul-Pharagius) 229. saep.
Barchuſen, Joh. Cornel. 8. saep.
Bauhinnus, Caſp. 224
Bernhold, Joh. Mich. 185
Bernier, Jo. 10
Bianconius, Lud. 152. 183
Black, Wilh. 11
Boeckelmann 177
Boerner, Fr. 16
Borrichius, Claus 22
Brambilla, Jo. Alexand. 14
Brandis, Jocch. Dieter. 19
Brucker 48. 49. saep.
Burggrav, Jo. Philipp. 10
Burmann, Petr. 224
Burſerius de Kanilfeld, Jo. Bapt. 233

C.

Caelius Aurelianus p. 93. 95. saep.
Cognatus Marſilius 240
Callimachus 28. 29. 30. 31
Campegius, Symphor. 365
Camper, Pet. 249
Cancianus, P. 342
Caſſiodorus, Marc. Aurel. 336
Cato, M. Porc. 175
Catullus 31
Cellarius, Chriſtoph. 11
Cellarius, Salomo Chriſtoph. 10
Celſus, Cornel. 5. 94. saep.
Charterius, Renat. 197. 198. 200
Cicero, M. T. 26. 178
Clemens Alexandr. 21. 26. saep.
Clerc, Daniel le 6. 33. saep.
Clifton, Franciſcus 11
Clinch, Thom. 188
Codex, Theodoſianus 270
Conring, Herm. 5. 22. 42
Coſte 355
Coſtaeus, Jo. 316
Curtius 87

D.

Dio Caſſius 181. 182
Diodorus Siculus 17. 18. 27
Diogenes Laertius 53 133
Dionyſius Halicarnaſſenſis 174
Dioſcorides 191
Doering, Mich. 10
Drelincourt, Carol. 177

E.

Echtius, Jo 377
Elmacin, Georg. 279. 284
Euſtathius 28
Eutychius Alexandr. 274. 284. 292

F.

Faber, Petr. 63
Fabricius, Jo. Albert. 49. 55. saep.
Feith, Enchardus 28
Freind, Jo. 6. 238. saep.
Fuchſius, Leonh. 202
Fulgentius 235

G.

Galenus 35. 147. saep.
Gaſſendus, Pet. 133
Girtanner, Chriſt. 376

Goeli-

Goelike, Andr. Ottomar. p. 10
Grimm, Jo. Fr. Carol. 71
Groſaeus de Boze, Claud. 38. 172
Gruenbeck, Joſ. 377
Gruner, Chriſt. Godofr. 215
Gruter 43
Günzius, Jo. Gottf. 35. 44. 265

H.

Haly Abbas 286. 304. 324
Haller, Albr. de 6. 8. ſaep.
Hemſterhuis 31
Heusler, Phil. Gabr. 243. 306
Herbblat 286
Herodotus 17 18. ſaep.
Heyne, Ch. Gottl. 34. 35. ſaep.
Hieronym. Jo. Fr. Henr. 103
Hieronymus 225
Hippocrates 26 61. ſaep.
Honeſtis, Chriſtoph Georg de 318
Hugo Flauiniacenſis 339
Hundertmark, Carl. Frid. 42
Hutten, Vlrik de 377
Hyginus 36

J.

Jagemann 337
Jamblichus 57
Iſidorus Hiſpalenſis 106

K.

Keſtner, Chriſt. Wilh. 11
Koehler, Tob. 336
Kurella, Ern. Godofr. 18

L.

Labbaeus 197
Lampe, Henr. 177
Lanfrancus 356
Lactantius 33
Leo Africanus, Jo. 288
Leo Oſtienſis 337
Lind, Jo. 377
Liuius 172. 173
Lorry, A. C. 306
Lucius Apuleus 256
Lucretius, Tit Cor. 133

M.

Marus, Jo. Bapt. 337
Matthaeus Euangeliſta 232
Mazza, Anton. 338
Meibom, Jo. Henr. 35 42. 272
Meiners, C. 17. 18. ſaep.
Mercurialis, Hieron. 43. 63. ſaep.
Meſue p. 316
Meurſius, J. 44
Middelton, Ionyer 177
Moehſen, J. C W. 9
Morgagni, Jo. Bapt. 126
Moſes 19
Muratorius 336

N.

Neander, Jo. 10
Neſſel 40
Nicolaus Praepoſitus 347

O.

Oribaſius 93. 234
Orpheus 30
Oſterhauſen, Jo. Carl. 165. 166
Ouidius 29. 33

P.

Paaw, Petr. 20
Pantateo, Henr. 336
Paulus Aegineta 231. 232. 233
Pauſanias 33. 36. ſaep.
Pazmandus, G. 317
Pereboom, Cornel. 8
Petrus Diaconus 337
Pindarus 15. 32. 33. 34
Platner, Jo. Zachar. 14
Plato 34. 40. 65. 85
Plinius 52. 85. ſaep.
Plutarchus 31. 52. 65 142
Pocock, Eduard. 289
Potter, Jo. 44
Pyl, Jo. Theodor. 182

Q.

Quinctus Calaber 46

R.

Rambach, Jo Jac. 63
Reineſius, Thom. 144
Reiske, Jo. Jac. 275. 279
Rhaſes 286. 304
Rhadius, Jo. 5. 185
Richter, Georg. Gottl. 177
Riegels, Nic. 4
Riuinus, Andr. 224
Ronſeus, Bald. 377
Rufas Epheſius 92. 188

S.

Sandrat 110
Sanchez, M. 377
Scherz, Jo. Chr. Fr. 11

Schlaeger, J. C. p. 177
Schmidius, Erasm. 36
Schröckh, Jo. Matth. 359
Schulz, Jo. Henr. 7. 18. saep.
Schwarz, Christ. Gottl. 35. 37. 38
Serapion, Joannes 305
Serenus Samonicus, Quintus 131. 255. saep.
Sextus Empiricus 14. 133
Sextus Placitus 255
Situaticus, Matth. 356
Sophocles 28
Soranus 70
Spachius, Isr. 224
Spanheim, Ezech. 44
Spon, Jac. 43. 178
Stephanus, Athenienſis 71
Stolle, Gottl. 11
Stoſch, Phil. de 39
Strabo 33
Suetonius 173. 187
Suidas 71
Symmachus 269. 270. 272

T.

Tertullianus 97
Tidemann, Dieter. p. 49. 53
Toderini 300
Tzetzes, Jo. 71. 107

V.

Val, du 88
Valerius Maximus 172
Vgonius, Flav. Alexandr. 335
Vinck, Dan. 11. 177
Vineis, Petr. de 350
Vitalis, Oribricus 339
Vogel, Rud. Aug. 249

W.

Weigel, Carol. 235. 240. 242
Welſchius, Georg. Hieron. 309
Werlhof, P. G. 164
Wiegleb, Jo. Chriſtian 22
Wigan, Jo. 7. 170
Winkelmann, Joannes 40
Wittwer, Phil. Ludw. 61
Wolphius, Caſpar 224

Z.

Zaega, Georg. 17

INDEX RERUM.

Numerus primus paragraphum, ſecundus paginam denotat.

A.

Aaron, Presbyter Alexandrinus §. 375. p. 284
Abano, Petrus de 445. 363
Abdalla al Mancum, Califa 378. 289
Abracadabra 353. 260
Abu Abdalla 405. 376
Abu Koraiſch 392. 311
Abulcaſis 411. 330
Abulhuſen Tabet 381. 294
Abu Ali Iſa 381. 294
Abu Maher 404. 325
Aceſias 119. 86
Achilles 59. 46
Aceon 145. 106
Actuarius 342. 250
Acumenus 119. 86
Adala 419. 338
Aegidius Corbolienſis 424. 342
Aegyptiorum Anatome 28. 18
— chemica 24. 21
— diaeta 19. 19
— medicina antiquiſſima 15. 16
Aegyptiorum medicina penes ſacerdotes 17. 17
— mythologia 16. 17
— pathologia 20. 20
— phyſiologia 18. 18
— therapia 20. 20
Aeſculapius 12. 15
— medicinae inventor 29. 25
— inter Deos refertur 46. 36
— Romam accitus Epidauro 242. 171
Aeſculapii attributa 49 & 51. 39 & 40
— Cognomina varia 46. 37
— feſta 56. 43
— filiae 47. 37
— medicina 43. 34
— patria & parentes 41. 32
— praeceptor 42. 33
— Sacerdotes 52. 41
— Templa 48. 38
Aeſculapius Aegyptus 30. 25
Aetius §. 332. p. 240
Aetii ſyſtema medicinae 333. ibid.
— inuenta in medicina 334. 242
Aetius Antiochenus 332. 240
Agatharchides 324. 231
Agathinus 234. 165
Albertus Magnus 447. 366
Albinus Platonicus 229. 198
Alchemia Aegyptiorum 24. 21
Alcmeon 68. 51
Alexander Magnus 123. 86
Alexandrina ſchola poſt Galenum 326. 235
— — Saracenorum temporib. 375. 284
Alexandrinarum bibliothecarum incendium 275. 285
Alexander Trallianus 336 & 337. 244 & 245
Alexiades 125. 90
Alexippus 120. 87
Aloe 396. 315
Alopecia 324. 231
Alphanus de Salerno, Franciſcus 436. 356
Alzella 390. 306
Ἀναγκοφαγία 90. 69
Analogiſmus quid? 254. 113
Anatome Aegyptiorum 18. 18
— ante Hippocratem 93. 67
— ante Galenum 265. 187
— poſt Galeni tempora 318. 225
Anaxagoras 70. 53
Anaximander 62. 48
Eius doctrina de elementis ibid. ibid.
Andreas 168. 190
Androcydas 120. 87
Andromachus 270. 192
Antidotum Damocrati 271. 193
— Mithridatis 175. 126
— Philonis 271. 193
Antigenes 127. 91
Antipater 209. 148

Antoninus Muſa §. 219. p 153
— Auguſti medicus 255 183
— quis autor libelli ei adſcripti? 355 262
Antyllus 328. 236
Aphthae puerorum 390. 304
Apicius, Cael. 356. 262
Apollo 35. 28
— medicinae inuentor 36. 29
Apollonius 119. 86
— pater & filius 150. 110
Arabum medicina ante Mohammedem 370. 275
— medicinae ſtudium 369. 274
— methodus medendi 391 309
Arabiſtarum medicina 447. 356
Archagathus 248. 175
Archiater 256. 184
Archiatrorum electio 365. 270
— honores 366. 271
— munus & leges Romae 364 269
— numerus 362. 157
— Populates 366 271
— St. Palatii ibid. & 367 ibid. & 272
Archigenes 235. 168
Aretaeus Coppadox 240. 169
Ariſtaeus 57. 45
Ariſtoteles 121. 87
phyſiologiae o
Ariſton 119. 86
Artemidorus Capito 268. 190
Artis obſtetriciae primus autor 340. 247
Aſclepiadae 74. 57
— οἱ ἔξει τοῦ γένους 77. 59
Aſclepiadrum diſcipuli οἱ ἔιγονοι 76. 58
— συγγεγραμμένοι 78. 59
— medicina 53. ſeqq. 41. ſeqq.
Ἀσκληπιεία 56. 43
Aſclepiades Bithynius 188 138
— novae ſectae conditor 189. ibid.
— eius doctrinae 190. ſeqq. 136 ſeqq.
— diſcipuli 202. 144.
Aſclepiades Pharmacion 272. 193
Attalus Philometor 174. 125
Athenaeus Attalus 234. 165
Athletae 90. 65
Avenzoar 408. 328
Averrhoes §. 409. p. 329
Avicenna 405. 326
— eius ſcripta 406. 327

B.

Bachtiſchua, Georgius 379. 291
Bachtiſchuarum gens 273. 279
Baco. Roge ius 444, 363
Bagdadenſis ſchola medicorum 377. 84
Balatianus 374. 282
Barbarus, Hermolaus 464. 379
Baſſus, Julius 268. 190
Benedictus St. 414. 334
Benedictus, Alexander 463. 379
Beniuenius, Anton 464. 379
Bentius, Hugo 447. 367
Berengarius, Jac. 464. 380
Bertharius 418. 337
Bezoar 397. 317
Blondus, Mich. Angelus 465. 380
Bonifacii VIII. lex medicorum cauſa lato 448. 367
Bononienſe Gymnaſium 416. 335
Brachelius, Hieron. Thriuerius 465. 380
Briſſotus, Petr. 464. 380
Brunfels Otto 465. 380
Bruno 435. 355
Bulimus ſec. Aſclepiadem 193. 137

C.

Caelius Aurelianus 232. 163
Caeſar Jul. medicos ciuitate donauit 254 180
Callicles 179. 128
Campegius, Symphorianus 464. 380
Caſſia 342. 250
Caſſius Pyrohonius 150. 110
— eius ſententia de tranſitu ad ſimile 155 114
Caſtalius, Joannes 424. 342
Caſtrenſis medicinae incunabula apud Saracenos 389. 303.
Catheteris inuentor 140. 102
Cato, M. Poro 247. 175
Cautiaco, Guido de 480. 368
Celſus, A. Corn. 249. 180
Chemiae medicinalis prima veſtigia inter Graecos 342. 250
— initia apud Arabes 395. 314
Chiron Centaureis 42. 433
Chirurgia ante Hippocratem 96. 68

Chirurgia medicinae parens §. 11. p. 14
— unde nomen ibid. ibid.
Chirurgi Aagati 435. 355
Chryſippus 80 & 127. 60. & 91
Chryſippus Cnidius 137. 100
Circe 57. 45
Circulatio ſanguinis, an Nemeſius illius memorauit? 330. 238
Cleophantes 189. 135
Clyſterum primus vſus apud Aegyptos 20. 20
Cnidia ſchola 79 & 80. 60 & 61
Coa ſchola 94 & 95. 68
Colica pictonum 324. 231
Conſtantinus Africanus 420. 339
— Apulei epitomator 354. 261
Conſtantinopolitana ſchola 326. 236
Copus, Guil. 465. 380.
Coſmetices apud Saracenos cultus 389. 303
Crataeuas 179. 178
Créſcentiis, Petrus de 453. 371
Crito 272. 190
Critobulus 119. 86
Critodemus 120. 87
Criton 150. 110
Cruſta lactea 390. 305
Caſſo 436. 355
Cybele 33. 27
Cyrenaica ſchola 79. 60

D.

Damianus, Petr 341
Dauid Fil. Honaini 379. 291
Deglatitio impedita 390. 305
Demetrius Pepagomenus 314. 249
Democedes 69. 52
Democritus Abderita 71. 64
Democritus 184. 132
Deſiderius 418. 337
Diaetetice apud Aegyptos nata 19 18
Diaeta ſacerdotum Aegyptiorum 19. 19
Diana 37. 29
Diatrito, quid? 227. 160
Dierum criticorum origo 67. 57
Dieuches 127. 91
Diocles 124. 89
Diocles Cariſtyus 128. 92
Diodorus Empiricus 179. 128
Diodotus 268. 190
Dionyſius §. 179. p. 128
Dionyſius Methodicus 209. 147
Dioſcorides 268. 190
Dioxippus Cous 119. 86
Diſpenſatorium primum inter Graecos 360. 266
— Nicolai Praepoſiti 427. 346
Diſpenſatoriorum inter Arabes primordia 393. 313
Diſſenſus inter Methodicos 209. 147
Doctoralis dignitatis origo 432. 352
Dogmaticorum ſecta 108. 29
— doctrinae 166. 121
— diaetetices ſtudium poſt Galenum 322. 231
— medicina ante Galenum 264 187
— poſt Galenum 323. 230
— pathologia 112. 82
— phyſiologia 110. 87
— therapia 118. 85
Dogmatici, quales Galeni tempore 274. 194
Doctor, quid? ſec. Dogmaticos 113. 83
Dondis, Jacobus de 106. 366
Draco 106. 78
Dracunculus, quid? 324. 231
Dyſenteriae ſanatic ſec. Alexand. Trallian. 337. 245

E.

Eclectica ſecta 234. 166
— unde nomen 239. 169
Echtius, Jo 460. 377
Elementorum doctrina ſec. mentem medicorum Hippocrateorum 108. 79
Elephantiaſis 324. 231
Elinus, Robinus 419. 338
Empedocles 68. 51
Empirici anotomen neglexerunt 153. 116
— quales Galeni temporibus? 273. 193
— quid mutauerint in medicina? 180. 129
— qui rure medicinam fecerunt 350. 258
— quoad medendi methodum laudandi 182 131
Empiricorum doctrinae 151—153 111 & 112

Empiricorum duplex genus post Galeni tempora §. 349. p. 257
— medicina post Galenum 344. 251
— methodus libros conscribendi post Galenum 351. 258
— pathologia 159. 116
— physiologia 158. ibid.
— rixae cum Dogmaticis medicis 163. 119
— sectae origines 144. 105
— secta, quae causae ad huius sectae degenerationem contulerint? 345. 252
— Symptomatum divisio 187. 130
— unde nomen? 131. 111
Epicurus 184. 132
Epicuri de animo doctrina 185. 134
— philosophia 184 132
— physiologia 186. 134
— quid eius systema in medicina mutauerit 187 ibid.
Ἐπιδαυρίων ἡμέρα 86. 43
Epilogismus, quid? 154. 113
Epimarchus Cous 70. 53
Episinthetica secta 234. 115
Erasistratus 137. 100
— Anatomiae operam dat 138. ibid.
— propriae sectae conditor 137. ibid.
Erasistrati de P. S. sententia 139. 101
— discipuli 140. 102
— de causa morborum doctrina 138 101
— Roterodamus 464. 380
Erysipelas cerebri 324 238
Eryximachus 119. 86
Essera 390. 305
Eudemus 131. 96
Euriphon Cnidius 75 & 87. 58 & 61
Εὐεξία, quid 295. 209
Εὐκρασία, quid ibid. ibid.

F.

Febris Dea 245. 173
Ficinus, Marsilius 464. 379
Foetor oris 390. 305
Forolinion Jo. de 447. 366
Fracastorius, Hieron. 465. 380
Fridericus II. Romanorum Imperator §. 429. p. 349
— Anatomes restaurator 431. 350
Fulgineo, gentilis de 447. 366
Fuchsius, Leonh 465. 380

G.

Gaddesden, Jo. de 747. 366
Galeacius de Sancta Sophia 453. 372
Galenus 278. 197
— Medicus Marci Aurelii Imperatoris 282. 200
— medicinae Hippocrat restaurator 286. 203
— Nulli sectae addictus 284. 201
— quatuor humores statuit 291. 206
— Romae artem exercuit 281. 199
Galeni Elementorum doctrina 288. 205
— idaea de medicina 287. ibid.
— Κρασις, quid 289. 206
— morbi definitio 296. 210
— pathologia 297. ibid.
— peregrinationes 280. 198
— physiologia 288. 205
— praeceptores 279. 197
— pulsuum doctrina 304. 274
— systema medicinae 284. seqq. 201
Garbo, Dinus de 243 & 447. 362 & 366
— Thomas do 453. 372
Gariopontus 422. 341
Gaza, Theodorus 464. 379
Generationis theoria Alcmaeonis 68. 52
— Anaxagorae 70. 54
— Empedoclis 68. 52
Gerardus Carmonensis 453. 371
Gilbertus Anglicanus 447. 366
Glaucias 170. 87
Glaucus 179. 128
Glauville, Bartholomaeus 447 366
Gordonio, Bernhardus de 447. 336
Gorgius 97. 70
Graecae medicinae ad Arabes transitus 371. 276
Graecorum antiquissima de morborum causa opinio 26 & 27. 23
Grafho de Hierusalem, Benenutus 436. 356

Guintherus Andernacus, Jo. §. 465. p. 380
Gymnastica medicina 83. 63
Gymnasiorum ortus 84. ibid.

H.

Haebreorum medicina 17. 18
Haly Abbas 404. 325
Hareth Eben Calda 370 & 371. 275 & 276
Harpocrates 50. 40
Harem al Rashid Magistratum medicorum 377. 284
Hecate 57. 45
Hectica secta 234. 166
Heraclides Ephesius 72. 55
Heraclides Tarentinus 176. 177 127. 128
Heras Coppadax 179. 128
Hercules 57. 45
Hermes 17
Heron 97. 70
Heradicus Selymbriensis 89. 64
Herodotus 179. 128
— Pneumaticus 235. 168
Herophilus 132. 196
— sectae conditor 136. 99
Herophili medicinae definitio 133. 98
— pathologia ibid. ibid.
— pulsus theoria 134. ibid.
Hessus Eobanus 464 380
Hippocrates 97. 70
— medicina a sapientiae studio separauit 104. 70
Hippocratis doctrinae 105. 73
— ἐνορμον .. ibid. 74
— filii 106. 78
— libri genuini 102. 72
— Spurii 103. 73
— nepos 106. 78
— schola 107. 79
Homeri iudicium de medicina Aegyptiorum 22. 21
Honain 379. 290
Honestis, Christoph. Georg. de 443. 362
Honorii III. lex medicinae causa lata 448. 367
Horatianus, Quint. Octauius 331. 239
Humores corporis humani sec. medicos Hippocrateos 109. 80
Humores quatuor Galeni §. 291. p. 206
Humorum quatuor origines sec. scholam Hippocrateam 110. 87
Hutten, Ulricus de 464. 380
Hydrocephalus 324. 232
Hydrops pericardii 390. 305
Hygea Aesculapii filii 29. 24
Hygeae cultus apud Romanos 244 & 245. 172. 173

J.

Jasone Aesculapii filia 29. 25
Impetigo 390. 305
Joannes fil. Batrik 378. 289
Joannes Constantini discipulus 422. 341
Joannes fil. Mesues 377. 407. 287. 328
Joannes Nicolaus 446. 356
Joannes de Sto. Paulo 436. 355
Joannes Serapionis fil. 401. 321
Jolas Bithynus 268. 190
Jondisabarensis schola 371. 372. 276. 277.
Jonica schola philosophica 62. 48
Isaac fil. Honaini 379. 294
Isa Eben Shahlatha 372. 278
Isis 17
Italica schola 79. 60
Jupiter 34. 27
Jupiter Saluator 27. 34

K.

Κνιδίαι γνώμαι 81. 61
Κοινοτηται Methodicorum 205.
Kosta 381. 294

L.

Lanfraneus 438. 355
Leges medicinae causae datae 362. 267
Lenaeus libertus 175. 126
Leonicenus Nicol. 464. 379
Leonides 235. 166
Lepra 324 & 390. 232. 305
Linacer, Thomas 464. 380
Lucius Apuleus 350. 258
Lucius Galeni praeceptor 279. 198
Ludi Graecorum 90. 65
Lucta 91. 65
Lycanthropia 390. 307
Lycus 179. 128

M.

Machaon 12. 59. 15. 116

Magiſter in phyſica, quid §. 432. p. 352
Magnus 235. 166
Manardus Jo. 465. 380
Manna 342. 250
Mauſus, Aulea Fafor al 372. 270
Manteias 176. 127
Marcellus Empiricus 357. 253
Marinus 265. 266. 188
Maſſa, Nicol. 468. 380.
Maſerjawaihus 375. 285
Maurus 424. 343
Medea 57. 45
Mediaſtini inflammatio 390. 306
Medici belli, Trojani temporibus 12. 15
— immunes a muneribus publicis 362. 363. 367. 268
Medici quales Galeni temporibus 275. 276. 194. 195
— Romam ingenui 252. 178
Medicorum Chriſtianorum inter Arabes auctoribus 374. 282
— triplex genus ante Hippocratem 92. 66
Medicinae in cunabula 10. 113
— quod Graecos 25. 22
— inter Saracenos progreſſus 369. 247
— in tres partes diuiſio 142. 103
Medus 127. 91
Μεγαλασκληπιεία 56 44
Melampus 57. ibid.
Menecrates 119. 86
Menemachus Aphrodiſeus 209. 148
Menodotus 150. 110
Mentagra 324. 232
Mercurius 40. 31
Metaſyncriſis, quid 126. 159
Methodici in quibus a Dogmaticis differebant 212 149
— ab Empiricis differebant 213 & 214 149 150
— quales Galeni temporibus 274. 194
Methodicorum arrogantia 215. 150
— Cycli 161. 229
— Chirurgia 223. 157
— doctrina 210. 148
— rixae 222. 156
— ſecta 183. 132
Meton §. 119. p. 86
Minerua 39. 31
Mithridates 175. 126
Meneſitheus 131. 96
Mneſtheus 127. 91
Mohammedes 370. 275
Montagnana, Bartholomaeus 443. 362
Morbi, quos Arabes primum deſcripſerunt 390. 304
Morbillorum hiſtoria ibid. 108
Morphea alba & nigra ibid. 305
Moſchion 317. 223
Moſchus 397. 316
Moſes Ben Maimon 410. 330
Muſandinus Petrus 424. 343
Myrepſus Nicol. 360. 265
Myrobalani 342. 250

N.

Nabacht, Aſtrologus 377. 287
Nadiſo'lnais 381. 297
Neapolitana ſchola 429. 349.
Nemeſianus, Galeni praeceptor 279. 198
Nemeſius 330. 238
Nepenthes, quod
Nicander Colophonius 174. 125
Niceratus 268. 190
Nicetas 329. 237
Nicolaus de Angiia 453. 372
Nicomachus 119. 86
Nicon 278. 197
Niger 268. 190
Nonus 341. 249
Noſocomium Conſtantinopolitanum 368. 273
Noſocomium Jondiſaburenſe 372. 278
Numeſianus 265 266. 188
Nurſinus 414. 334
Nyctalopia 324. 233

O.

Olympiacus Mileſius 209. 148
Oribaſius 320. 227
Orpheus 57. 45
Oſiris 15. 17

P.

Παγκρατεον 91. 66
Palladius 341. 249
Pamphilus 324. 232
Panacea Aeſculapii filia 29. 25
Πανακεῖα 56. 44

Pandectae medicinales 375. 284
Parisiana schola 416. 335
Partibus, Jacobus de 453. 371
Paruus apparratus 258. 184
Pathologia, qualis ante Hippocratem 94 67
— Galenum 267. 189
— post Galenum 318. 319. 226
Patroclus 12. 59. 15. 46.
Paulus Aegineta 339. 247
Pausanias 120. 87
Peteus 59. 46
Pelops Galeni praeceptor 279. 198
Pericles 88. 64
Petechiae 459. 376
Petron 119. 86
Petronius 368. 190
Petrus Hispanus 443. 362
Phaon 119. 86
Phecianus 279. 189
Philaretus 338. 246
Philargius 328. 236
Philinus Cous 150. 110
Philippus 120 87
Philistion 119. 86
Philosophum medicinae studium ante Hippocratem 73. 55
Philotheus 338 245
Philotimus 127. 131. 91. 96
Phorat 376 286
Phisiologia Aegyptorum 18. 18
— qualis ante Hippocratem 318. 226
— Galenum 266. 189
— post Galenum 318. 226
Pitardus Jo. 435. 385
Pittalus 119. 86
Planta noctis, quid 390. 3 7
Platearius 425. 344
Platonis sententia de morborum originibus 116 84
Plinius, Caius 260. 185
Plinius secundus, s. Valerianus 358. 264
Plistonius 127. 91
Πνεῦμα quid 237. 167
Pneumaticorum placita 237. 167
— pathologia 238. 168
— secta 233. 164
Podagra 324. 233
Podalirius 12. 59. 15. 46
Polybus 116. 78
Polydama 22. 21
Pontus, Mag. §. 419. p. 338
Possidonius 328. 236
Praepositus, Nicolaus 426. 345
Pratis, Jason a 464. 380
Praxagoras 127. 91
Praxagoras Cous 135. 94
Proceda, Jo. de 436. 355
Proclus 209 149
Prodicus 117. 85
Pudendorum affectus 324. 233
Pugillatus 91. 65
Pythagoras 64. 49
— diaetetices auctor 66. 50
— dierum criticorum & imperium auctor 67. 51

Q.

Quintus 165. 188
Quintus Galeni praeceptor 279. 198

R.

Rhabarbarum 337. 246
Rhases F. Rhazes 402. 322
Rhodia schola 79. 60
Rhadiginus, Ludovic. Caelius 464. 380
Rhadostagma, quid 242. 250
Ricardus 424 343
Raeslin, Eucharius 465. 380
Rogerius 435. 355
Rogerii Regis leges medicinae causa latae 423. 341
Rogeriis, Joannes Vitus de, 436 356
Romanorum medicina 241. 170
Ronseus, Balduinus 460. 377
Rufus Ephesius 265. 188
Rusticus, Febr. Aubon. 464. 380

S.

Sabur 393. 313
Sacharum 397. 316
Saher 377. 287
Salodinus Asculanus 425. 344
Salernus, May 419. 338
Salernitana schola 418. 337
Salernitanorum Pharmacopolarum leges 434. 54
Saliceto, Guilelmus de 449. 368
Salmawaihus 37. 28
Salomon 424. 43
Salutis Dea apud Romanos 244. 172
Saracenorum medicina 384. 297
Saturnius 179 128

Satyrus §. 265. p. 188
Satyrus Galeni praeceptor 279. 198
Savanarola, Michael 453. 372
Scorbutus nauturum 460. 377
Scribonius Largus 259. 185
Senna 342. 250
Serapion 155. 114
Serapion Alexandrinus 150. 110
Serenus Samonicus, Quint. 353. 259
Sergius 379. 291
Sergius Rhasineusis archiater 375 284
Sermoneta, Joannes 458. 372
Sextus 150. 110
Sextus Empiricus 179. 128
Sextus placitus 350. 354. 258. 261
Siburius 388. 264
Sichelgaita 422. 341
Siluaticus, Mathaeus 436. 355
Simon Jaunensis 447. 366
Siriasis 324. 233
Societas Chirurgica Parisiensis 435. 355
Socrates 73. 55
Soranus Ephesius 209. 148
Σωτήρια 56. 44
Spina neutosa 390. 308
Stephanus Athenienſis 338. 246
Stomachi uerreeca 390. 308
Stratonicus 279. 198
Sudor Anglicanus 459. 375
Symeon Sathus 341. 249

T.

Tarunta, Volesens de 447. 366
Τήρησις, quid 154. 112
Thaddaeus Florentinus 447. 366
Thales §. 62. p. 43
Themison Laodicens 204. 144
Theodocus 376. 286
Theodorus Pneumaticus 234. 165
Theodorus Priscianus 331. 239
Theodunus 376. 286
Theomedon 119. 86
Theophilus 338. 246
Theophilus Maronita 377. 287
Theophrastus Eresius 125. 90
Theriaca Andromachi 270. 192
Thessalus 106. 120. 78. 87
Thessalus Mnasea 209. 147
Thessalus Trallianus 208. 146
Theutras 150 155. 110. 114
Thrasyas Mauimensis 125. 90
Torinus, Albanus 465. 380
Tortula 436. 355
Tricinensis schola 416. 335
Turrisaniis, Turrisanus de 453. 372

V.

Valla, Georg. 464. 379
Variolarum historia 390. 308
Vectius Valens 219. 153
Venaesectio 20. 20
Vena Medinensis 390. 309
Vesicae scabies 324. 233
Venereus morbus 459. 375
Vietus Aegyptiorum 19. 19
Vigo, Joannes de 464. 380
Vincentius Jo. 436. 356
Vindicianus 317. 224

X.

Xenocrates 272. 193

Z.

Zythum Aegyptionum polus 19. 19

Errata.

pag. 28. §. 35. lin. 3. in not. lege: *gloriata fuerat.*
— 31. §. 40. lin. 9. leg. *Tanagraeos.*
— 65. §. 89. lin. 2. leg. *Herodicum.*
— 66. §. 91. lin. 8. leg. παγκράτιον.
— 68. §. 94. lin. penult. dele *aut paulo post eum.*
— 103. §. 142. lin. 5. leg. *diversam.*
— 176. §. 249. lin. vlt. leg. *medicas.*
— 195. §. 275. lin. 12. post *rigorem quendam*, adde: *contulerunt.*
— 225 §. 318. lin. 3. leg. *valent*
— 230. §. 323. lin. 10. leg. *Asclepiades tempora.*
— 253. §. 346. lin. 5. leg. *ante sua tempora.*
— 280. §. 373. lin. 19. leg. *Filium habuit Gabrielem.*
— 283. lin. vlt. leg. *imagines quod magni*
— 300. §. 386 lin. 2 leg *mo borum originibus versatur.*
— 303. lin. 1. leg. *ab hominibus*
§. 389. l. 14. leg. *Arnaldus de V.* & ita semper.